Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Xenophon

XENOPHONTIS || CYRI PAEDIAE || LIBER TERTIVS.|| IOANNE CASELIO || interprete.|| Eiusdem I.Caselij trium de educatione || principis orationum secunda, et || nonnullae epistolae.||

Rostock: Möllemann, Stephan, 1582

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863617026

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

3971

47. *Caselius*, J., Xenophontis Cyripaedia. Rostochii 1578.
pgb.

Banér
Djursholm



Cc - 10105/1 1-5

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863617026/phys_0002

Jacobus Tolen
me suis annumerat.

Anno 1678.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863617026/phys_0003

Ηροδοτος θαλεία. 139. Κύρου ἀρετῆς ἐξοχή. Ζωπήρου δὲ οὐδεὶς ἀγοθοεργιὴ περσέων ὑπερβάλετο παρὰ δαρείῳ κριτῇ, οὔτε τ' ὕστερον γενομένων, οὔτε τῶν πρότερον, ὅτι μὴ κῦρος μοῦνος. Τούτῳ γὰρ οὐδεὶς περσέων ἠξιωσέκω ἐὼν τ' συμβαλέειν.

Πλάτων κρίτωνι. 18. ἢ γὰρ οὐ χρῆν ποιεῖσθαι παῖδας, ἢ ξυνεταταλαιπωρεῖν καὶ τρέφοντα καὶ παιδεύοντα.

3

XENOPHONTIS CYRI PÆDIÆ

LIBER TERTIVS.

Nicolao Regensdorf. Io. Caselius

IOANNE CASELIO

interprete.

Eiusdem I. Caselij trium de educatione principis orationum secunda, & nonnullæ epistolæ.



ROSTOCHII
Ex officina Stephani Myliandri.
Anno CIↃ IↃ XXCII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863617026/phys_0009

ADOLESCENTI HEROI HENRICO IVLIO.

Hócne agis antiquo heroum de ſanguine Iuli,
Quod tener è cunis repens, & ab vbere matris
Cæpiſti, ceu fama per orbis dididit oras,
Fama, faueńs gentiq́, tuæ, laudiq́, orienti,
Dum te conciliat populis & regibus ipſis, (ras?
Quando vix populi & regum diſcrimina no-
Tu primum intuitus ſolis iubar, ilicet ipſam
Pallada vagitu et Phœbum Muſasq́, vocaſti.
Nec mora: ſic culti cumulãt tua pectora donis
Certatim, & ſua te ductũ in fulgentia templa,
Tam cupidum cœli minimè myſteria cælant:
Sed Sophiæ ſatiant epulis & nectare dulci.
Hoc ſupereſt, vt ſis conſtans, vt fidus alumnus
Aonidum, nec te patiare à tramite recto
Vitæ deliciis aut prauis artibus vmquam
Turbari, ſed iter laudatum ad ſydera curras:
Hic vbi non dubia eſt tantorum meta labo-
(rum.

IOANNES CASELIVS.

Ex Bibliotheca Academiæ Rostochiensis

CONRADO A SCHWI-
chelt, præsulis Halberstadien-
sis aulæ præfecto
S. D.

IOANNES CASELIVS.

ANNVS modo est, nobilissime Conrade, & amplius, quando ad te hanc epistolam daturus eram. Quod cum prascieris, quoniam & de meæ voluntatis constantia non dubitabas, & tibi ego facturum sub id tempus significaueram; miratus fortasse fueris hoc altum meum silentium. Neque tamen non aliquam huius moræ caussam per te animaduerteris. Incidebat enim, vel potius irruebat morbus, nouus & aliquot seculorum memoria inauditus, à longissimo noto ad vltimos septemtriones, omnes orbis plagas nobis notiores, forte etiam remotissimas, incredibili celeritate peruagans: erraticus ille quidem, sed apud nos aberrans vix à quopiam: quantam ediderit quàm repente stragem, cum audiet, etiam cohorrescet, posteritas: omnium certe mortalium animos, vt fulmine, perculit, nisi qui essent ferrei, & omnis pœnè sensus expertes: perpaucorum pepercit corporibus: non tamen magnæ hominum partis vitam abstulit: tamen, si quis in illam rem cogitationem defigat, quando iniri ratio tot gentium non potest, tam multa millia, quæ vix etiam designentur numero: plures autem initio sustulit, non solum vel ætate imbecilles, vel ad tantum malum accipiendum, vt fomes aridus ad scintillam, paratos, autumno potissimum, sed alios præterea, quia in tanta trepi-

 datione,

dätione, vel imperiti, qui cauſsas naturales inquirere non poſſent, fomenta adhibebant pro medicamentis, ac ſi quis oleum igni infunderet, vel deiecti opem medicam prorſus repudiabant, (fuerat enim ita multis ſine ratione, magnis etiam viris perſuaſum) vt ſi quis abiectis armis ceruicem præberet hoſtibus, cum contra ſentirent noſtri medici, (neque de alijs dubito) viri optimi & doctiſsimi, qui & plerosque ex Orci faucibus eripuerint. Neque non ego eorum vni, cuius hic prædicandi locus non eſt, ſecundum Deum vitam me debere profiteor. Niſi enim Æſculapius ille meus me aduerſus ingruentem tempeſtatem fideliter initio præmunüſſet, & deinceps ſegetem telorum ſolicitè à capite depuliſſet meo; actum erat equidem de me: neque tamen, vt metu periculi paucis diebus carui, ita me paucis menſibus potui colligere: multi ſe, quod & mihi contigit, vix etiam pluribus, corroborauerunt: de me minus mirum, cui athleticæ vires numquam fuerunt. Habes primam & nimis grauem huius moræ cauſſam: in qua cum animo hærerem, in illud ſuperioris anni tempus reſpiciens, fui explicatione longior, tibi tamen non moleſtus, quem ſermonibus amicorum delectari ſcio mirificè. Quæ me deinceps exceperunt, minuta forte, ſed vnum ſemper ex alio, prorſus præteribo; ne in inſuauibus hæream, & ipſum negotium negligam. Quod, inquies, negotium? Mitto, quæ promiſeram: quæ tu principi tuo, adoleſcenti heroi, ex me reddes: alterum facies non rogatus, (ſoles enim) vt quæ huius generis ſunt, verbis tuis ornes: quod verè facere potes. Facis autem certè, cum eiuſmodi eum quotidie ipſe doceas. Quid enim officij tui ſit, & præclarè intelligis, quoniam animum à puero expoliſti omni liberali doctrina: & ſumma diligentia facis, quoniam pectus etiam virtute excultum habes, vt, quod intelligis officium, negligere nullo

modo,

modo possis. Istuc munus, vel honorem potius primarium, gerunt in regijs plærumque nobilissimi quique iuuenes, pauci tamen eius dignitatem cum intelligant, hoc agunt, quod minimum est, quod tamen in oculos maximè incurrit, quodque non minus est apud eos, vbi neque litteræ neque virtus colitur, vt quæ ad splendorem & pompam faciunt, constituant, & regum filiòs in ea ducant, quæ specie tantum pulcra sunt. Hæc, vti scis, perstringunt oculos vulgi, sapientes non mouent: nimia, virtuti magis officiunt et saluti publicæ, quàm aut illam aut hanc stabiliant. In qua re explicanda, cum, si velim, facile multus, & fortè non indisertus esse possim; nihil ponam operæ: ne omnia illa, quæ maximi profectò non facio, prorsus videar contemnere, cum talibus ita studendum censeam, vt primi illi heroes, generis humani ἀνεγέται fecerunt, qui neque purpuram, neq; aurum, neque gemmas ostentabant, neq; maiestate oris, vel alti silentij, vel inanium verborum, & simili quasi cærimoniarum genere imperium administrabant: sed triumphabant laboribus & meritis suis erga mortales: horumque insignia gerebant, vt clauam Hercules, hastam Peliacam Achilles. Tu in ijs, quæ dico, quid fieri conueniat, non ignoras, neq; præteris: sed maiora præstas, dum heroicum istum iuuenem doces, quibus ipse mirum in modum à pueritia fuit delectatus, μύθων τε ῥητῆρ' ἔμμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων: sapere & loqui, consulere & agere.

In his enim continetur omnis educatio & officium principis: neque, si in ijs non sit, rectè educatus fuerit, aut munus tueatur suum. Neque tamen, quod solum inculcant aliqui, neq; tamen satis explicant: pium esse ante omnia oportere principem; id reprehendo: dico idem quoque, & sentio, si quisq; alius. Sed quemlibet mortalium esse decet cultorem numinis: quanto magis principem? Etenim

cultus & reuerentia numinis omnium animi bonorum, vt virtutum & sapientiæ, deniq; vniuersæ beatitudinis principium est, siue elementum dicere malis, siue radicem, siue caput. Inter nos autem hoc dubium esse non debet, de quo inter omnes gentes constitit. Fuerunt enim etiam priscis illis seculis religiosi reges, & laudantur propterea: vt Cyrus ille Xenophonteus, Agesilaus item Spartanus: quin, ita Lycurgus constituerat, vt Lacedæmone rex esset & imperator, & pontifex, quemadmodum & ille apud nobilem poëtam, Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos. Debet igitur hoc esse perpetuum, etiam in principe: quantò magis in præsule? Non oportet autem pietatem tantummodo esse adumbratam, quàm Græco nomine ὑποκρισιν appellant: quod qui non alia pietate sit; alium præ se ipse ferat, animo verò prorsus sit alius. Huius multa sunt genera, vt omne malum multiplex: sed duo magnam cum vero habent similitudinem, falluntq; non Deum, sed homines. Ille enim non circumscribitur: maximæ parti mortalium dare verba malitiosus facilè potest. Neque enim, qui memoria tenent cœlestia oracula, neque qui plurimum de capitibus fidei disputant: iccirco pietatem colere existimandi sunt: etsi qui sincerè Deum colunt, sacras litteras & perdiscunt ipsi quoque, & quotidianis vsurpant sermonibus. Sed de hac re hoc loco vlterius progredi non debeo, cum nihil hic relinquatur dubij in vna quæstione. Nam quæ sit illa vera pietas, quantumque in ipsa eius disciplina, & quibus vijs principem progredi oporteat, vtile quidem, sed longum erat; sed tibi non necessarium, explicare. Cum autem sit præterea ars sua regi, vt sua nauclero, sua architecto, cum sit ipse nauclerus & architectus, quemadmodum semper sapientes de moderatoribus rerumpub. locuti

cuti sunt; ea ipsa regia arte acceßuros ad imperium eruditi oportere, nemo sanus, opinor, negat. Cum enim minima quæque ex tempore non tractentur, maxima inter mortales negotia nulla ratione expediri quis credat? Nos de modo ipso regiæ disciplinæ non ambigimus: miramur potius, neque multos, quam dico disciplinam, scire, cuiusmodi sit, neque hanc inscitiam animaduertere, neque si animaduertant, de illa solicitè inquirere, quando de filiorum educatione cogitationem suscipiunt: vt hi rectè educentur, idque quod in se neglectum querantur, quodammodo sarciatur: vt qui rectæ educationi præsint, inuestigentur gemmis diligentius, & non solum arcessantur ex remotissimis terris, sed etiam, si fieri possit, ex vetustissimo seculo suscitentur: quod curæ cordique adeo fuisse Philippo Macedonum regi accepimus, vt scripserit diserte ad Aristotelem, se lætari, eo tempore sibi natum filium, quo ab homine omnium doctissimo posset educari. Vidimus hac ætate adolescentulis creditos filios principum, quibus humilimus aliquis ex plebe suum filium, quem præter prima elementa doceri nihil velit, non recte crederet. Hoc parsimonia fieri, cui priuatos studere necesse est, non existimabimus, sed ea, quam paullo ante dixi, caussa. Si enim intelligerent, vel intelligentes consulerent & audirent; longè alio consilio plerique vterentur. Inuenitur aliquis, qui filium principis Latinam linguam doceat, quam si vtcumq; intelligat & balbutiat; ille eruditus repente princeps ore omnium prædicabitur. At sunt passim gentium quàm plurimi, qui melius Latinè norint, qui tamen regiam disciplinam primoribus labris non attigerint: & olim vniuersa Italia non alio sermone vtebatur, vbi quotusquisq; cogitabat, quid esset imperium? cum hoc optimatibus in vrbe tantum curæ esset, aut, vt illo more loquamur, senatui populoq; Romano.

Per se

Per se igitur Latinus sermo nihil ad disciplinam regiam etsi vtilem esse & hodie necessariam non negarim: et iccirco discendum principi cum alijs & ipse sentio. Vt autem in eo eloquentiæ laudem quis affectet, quemadmodum non improbo, ita vt omnem operam in ea re ponat, auctor esse non debeo, quando hoc rectum esse non iudico. Non improbo etiam, vt capita iuris ciuilis princeps teneat: sed idem aßeuero, neque hanc esse omnem disciplinam regiam. Prætor enim neq; imperator est, neq; rex. Regem autem imperatorem etiam esse oportet: & quamuis ius sepe dicit; tamen & habet lectos legum interpretes, & his vti in causis paullo grauioribus necesse habet, & præturæ munus non raro delegat alteri. Hoc enim honore bonos viros esse afficiendos quoque putabit: non solum aliquam grauissimæ molestiæ partem à se remouebit, qui perpetuum onus reip. humeris sustineat. In ijs igitur sunt educandi & principum filij, & quicunque aliquando accessuri videntur ad remp., quæ antè diximus: de quo inter nos, adeoque inter omnes ingenuis disciplinis probè politos, prorsus conuenit. Neque nos fugit, quemadmodum ipsa comparentur. Non enim hæc tanta bona natura in quoquam proueniunt: neq; tamen non ipsa munificè in aliquos vim suam insudit, vt facli ad summa esse videantur, non tamen perfecti perhiberi possint. Hæc est heroum soboles: sed plerique mediocri ingenio nascimur. Adsuefactione ad virtutem educamur, & eam adipiscimur, non secus, ac qui in fidibus se exercet, citharœdus euadit. Sed quemadmodum, vt euadat, opus est, vt benè se exerceat: vtq; bene exerceat se, bono monstratore opus est: sic ad virtutem aspirantibus, præcipuè principum filijs, quanto in eius omni genere ipsos magis excellere æquum est, educatore opus est & diuino, vt ita dixerim, in re diuina, certè in omnibus rebus mortalium longè

longè maxima. Sic manum admouere operi is, qui educatur, rectè potest. Non audientem enim, sed dicto audientem esse oportet, & mancipio se dedere sapientiæ, quod libertatis initium est atq; fundamentum, vt contra seruituti fores pandit licentia. Principi ab vltima etiam infantia artes belli & pacis propositæ esse debent: sed hodie vtræque pœnè prorsus iacent. Vtinam sint, qui de artium militiæ instauratione, circumuallantibus nos vndique periculis non minus serio cogitent, quàm ego de illustrandis propagandisq; studijs sapientiæ in vsus etiam politicos, & reuocent veterem disciplinam militarem, siue Persicæ Cyri, siue Macedonicæ Philippi, siue Romanæ legionibus studentium similem, Turcæ à multis iam sæculis vniuersi orbis imperio inhiantis perpetuum studium & indefessam industriam æmulantes. Non desint tamen fortasse, qui intelligant & velint; modò exoriantur etiam, qui sequantur & adiuuent: quorum illa in priuatos etiam cadunt: hæc erant imperatoris & Germaniæ principum. Excitari autem nos exemplis & ratione magis, quàm calamitate & conspectu imminentis exitij oportebat, ne opprimamur oscitabundi antè, quam ad respiciendum dies concedatur. Ordine tamen adhuc fieri existimo, vt ad litteras inuitentur regum filij, in litteris educentur. Quoniam in his non tantum otij ratio optima exponitur, sed armorum quoq; tractatio præscribitur. Nosti autem maiestatem virginisè Iouis cerebro, vt haud inscitè fabulantur, editæ, tum caput munientis galea & corpus clypeo, tum hastam etiam vibrantis in hostem. Ego, quod mearum esse partium iudico, neque prorsus infeliciter cæpi, persequor. Cur enim aduersor amicis, me excitantibus etiam aliquando? neque non moueòr aliquorum profectu, quos ego siue excito, siue confirmo, cum ipsorum voluptate magna, nonnulla etiam mea. Gaudet

enim merito vterque, & hic, qui auctor alij est singularis boni, & ille, qui se boni non contemnendi compotem fieri intelligit: & vtriq; plurimum causſæ est tam nobile instituтum vrgendi & perficiendi. Quantum porro studia litterarum conferant, etsi non est obscurum, tamen à me quoq; sæpe ostensum est: neque ad te id scribendum, quod per te intelligis, & tuo loco vrges, vt, quæ hac faciunt, monumenta litterarum numquam è manibus deponat, princeps Henricus Iulius: vt quoniam viam virtutis semel cum summa omnium approbatione ingressus est, non declinet in alteram partem, sed ad metam veræ dignitatis & immortalium laudum porro cursum dirigat, neque fallat èxspectationem sapientissimi parentis, & omnium, nostrum præsertim, qui, si à se vllo vnquam tempore discederet, quod plerique solent victi voluptatibus improbis & improborum assentationibus, ipsum falsis laudibus non bono studio proprij compendij causſa ornasse ad posteros videremur: à qua suspicione omnes boni se longissimè, quantum in ipsis est, non minus, quàm ab ipsa re, quod penes quemque est, vindicare debent. Sed ego postquam pro ingrato silentio epistolam loquacem, etsi hoc nomine ingrata quoque tibi foret, nisi me tantopere amares, reposui; hic finem scribendi faciam, hac tamen conditione, vt, cum mihi videbitur, aut tibi placebit, calamum reposcam.

Vale. Rostochio.

Kal. Septemb.

Anno

CIↃ. IↃ. XXCI.

XENO-

XENOPHONTIS
Cyri pædiæ
LIBER TERTIVS.

HIS igitur erat occupatus Cyrus: sed Armenius, vt Cyri mandata audiuit ex nuncio, animo perculsus fuit: perfidiæ sibi conscius, qui neq; vectigal penderet, neque auxilia mitteret: hoc vero timebat maximè, quod manifestum erat futurum, ædificari eiusmodi regiam, de qua vim defendere non esset difficile. Quocirca his omnibus de caussis tergiuersans, & hac illac mittebat, qui copias colligerent, & in montes amandabat minorem natu filium Sabarim, itemq; coniuges, & suam & filij, & filias: etiam mundum & suppellectilem precioſiorem additis ducibus: ipse autem eodem tempore & mittebat speculatum, quid ageret Cyrus, & in acie constituebat aduenientes Armenios. Ibi statim aderant alij, qui nunciarent: Cyrum adesse proximè. Tum

igitur ille congredi non audere, sed retro cedere. Id cum eum facere videbant Armenij, diffugiebant iam domum quisq; suam, ad res suas in tutiorem locum amoliendas. Sed videns Cyrus campos impleri discurrentium, & currus equosq; agitantium; per aliquos studio emissos nunciabat: se nulli omnium hostem esse, qui manerent: sin quem fugientium prehendisset, prædicebat, hostilem in modum tractaturum. Sic igitur pleriq; manserunt: neq; tamen non aliqui cum rege cedebant. Porro, cum qui antegressi cum mulieribus erant, in eos incidissent, qui prius montem occuparant; sublato ipsi subito clamore, inq; fugam versi, capiebantur multi: deniq; etiam filius & coniuges, & filiæ in manus hostium venerunt, & quidquid rerum cum ipsis vectum fuerat. Sed rex eorum cum intellexisset, quæ gererentur; dubius animi, quo se verteret, in collem quempiam confugit. Quo animaduerso, cingit collem suis copiis Cyrus, arcessitumq; per nuncium Chrysantam, venire iubet relicto

licto in monte presidio. Copiæ ergo ad Cyrum aggregabantur: At Cyrus misso ad Armenium præcone, ita quærebat: dic mihi, inquit, Armenie, vtrum vis, istic commorans cum fame & siti pugnare, aut in campum descendere, vt nobiscum dimices? Respondit Armenius, se cum neutris velle pugnare. Misso iterum Cyrus præcone quærebat: quid igitur istic sedes, nec descendis? Quia, inquit, animo hæreo, quid faciendum sit. Atqui, inquit Cyrus, hic te animo hærere minimè oportet. Licet namq; tibi descendere hac conditione, vt iure mecum experiaris. At quis, inquit, sententiam feret? Idem ille videlicet, cui sine iuris disceptatione Deus dedit, vt tecum, quemadmodum sibi luberet, ageret. Ibi igitur Armenius, intellecta necessitate, descendit: ac Cyrus, & ipso & reliquis rebus omnibus in medium inclusis, circumcirca castra posuit, quoniam omnes suas copias eo vno loco collectas habebat. Interea vero maior natu filiorum Armenij Tigranes ex profectione

quadam aduênit, qui & olim Cyro ſocius venationis fuerat: is, poſtquam audierat, quæ accidiſſent, ſtatim accedit ad Cyrum, quo erat habitu. Vbi vero captiuos eſſe vidit & patrem, & matrem, & fratres, & & ſuam etiam mulierem, illacrumauit, vt par erat. Eum Cyrus intuebatur ſine vlla ſignificatione beneuolentiæ: ſed, in tempore, inquit, venis, vt ipſe iudicium de patre tuo coràm audias: ac ſtatim Perſarum & Medorum ducibus conuocatis, inuitabat etiam, ſi quis Armeniorum illuſtrium adeſſet: neq; arcebat in curribus mulieres, ſed audiendi poteſtatem & ipſis faciebat.

In veterum ſcriptis nihil eſt, quod lectorem, qui illa, vti conſideranda ſunt inter legendum, ſic conſideret, (quæ tamen ratio permultos hodie fugit) non magnopere vel oblectet, vel erudiat. Hoc niſi eſſet, illa iampridem occidiſſent, aut certè hodie à ſapientibus negligerentur: cum ferè contrà ab indoctis & arrogantibus maximè negligantur. Sed de Xenophontis ſuauitate nihil attinet dicere, quæ ab eius ætate hucusq; nobilitata eſt præſtantiſſimorum ingeniorum cenſura & celebratione: cuius libros qui legit; is ſauo paſcitur apis Atticæ, tum dulciſſimo, tum ſaluberrimo. Alitur enim etiam hoc cibo animus, vt ſuo modo viuat: contemplatione veri ad intelligendum, & indagatione re-

ne recti ad agendum. Legendi rationem hic quoq; indicabimus, non vt omnia eruamus, quod forte & nobis difficile foret, sed diligentiam acuamus, non solum aliorum, verum etiam nostram: diligentiam, inquam, & intelligentiam. Nam diligenti meditatione intelligimus, & magis intelligimus, quo magis mentis neruos intendimus. Ceterum exemplo Cyri discimus, quemadmodum quisq; in eo progressus faciat magnos, in quo rectè se exerceat. Cyrus enim ad imperium educatus disciplina regia, in dies magis magisq; proficit in scientia siue arte regia: quæ politice etiam appellatur, neque excludit, quæ militiæ sunt. Alterum est: non est temeritati fortunæ credenda militia: sed ratione administrandum bellum: cogitandum, vigilandum, laborandum: si in omnibus, minimis, maximis; quanto magis in quo nullum loci, nullum temporis spacium vacuum à periculis? Sed hoc, aiunt, vel cæco liquet. Videamus modo regis Armenij factum, animum, successum. Perfidia & animus torquetur, & secundæ res euertuntur. Conscientia sceleris cuique est grauissimum supplicium. Itaq; consilia sunt numquam turpia, sed semper honesta capienda: tum, vt respondeat euentus, vt sæpe, tum si fallamur, ne animo cruciemur, sed voluptatem capiamus recordatione bonæ cogitationis & præclaræ voluntatis. Nam altero nihil certius: mali consilij (est autem vel astutissimum in malis) exitum esse infelicem: quod calamitas etiam Armenij comprobat.

Iam vero omnibus constitutis ordine, ita exorsus est: Principio tibi, Armenie, inquit, suaserim, vt in iudicio vera dicas, ne vnum in te deprehendatur, quod facile inui-

inuisum facit omnibus. Namq; deprehendi in mendacio, quod scias, cum primis præcidit hominibus omnem spem veniæ. Præterea, inquit, conscij tibi sunt & liberi & mulieres hæ, omnium, quæ gessisti: quotquot item adsunt Armeniorum: qui si senserint te alia narrare, quàm reuera gesta sint, iudicabunt, te vel ipsum in tete grauissima quæq; statuere: vbi scilicet ego comperero, quemadmodum planè se res habeat. Interroga vero, inquit, Cyre, quodcunq; vis: verum tibi à me dicetur: ea gratia quidquis mihi deinceps eueniat. Dic igitur mihi, inquit, numquámne cum patre meæ matris bellum gessisti? Gessi, inquit ille. Victus autem, nonne ita cum eo pactus es, vt tributum penderes, & copiis tuis ipsi præsto esses, vbi denunciaret, neq; in potestate tua haberes vlla propugnacula? Ita accidit. Iam igitur quapropter neque pendisti tributum, neq; copias misisti, sed munijsti propugnacula? Et ille, ardebam, inquit, desiderio libertatis. Præclarum enim mihi videtur, si

& ipse

& ipse liber sim, & libertatem relinquam liberis. Etenim, inquit Cyrus, præclarum est dimicare, ne in seruitutem redigaris: sin aut bello quis victus, aut alio quopiam modo in seruitutem redactus, herile imperium à se conetur auertere; dic tu mihi primum, tune hunc, vt virum bonum, & rem præclaram gerentem, honore, aut vt iniustis rebus studentem, pœna afficias? Pœna, inquit, eum afficio. Neque enim tu sinis, vt mentiar. Quare dic disertè, inquit Cyrus, ad hunc modum singulatim: si quis imperium gerens delinquat, paterisne eum deinceps imperium gerere, an hoc ipsi abrogato, alterum substituis? Alterum substituo, inquit. Quid vero, si is pecuniam habeat, sinisne eum abundare, an ei opes eripis? Eripio, inquit, quæcunq; habeat. Quod si intelligas, ipsum ad hostes deficere, quid facis? E medio tollo, inquit. Moriendum enim cum mihi sit, mendacijne conuictus malim, quàm verum professus occidere? Ibi filius tiaram de capite auellere, vestes conscindere: mulieres sub-

lato clamore, malas dilaniare, quasi & de patre actum esset, & ipsi iam omnes periissent.

Primus est sermo Cyri & Armenij: atque in eo sermone primum illustre, de turpitudine mendacij. εὐμισητότατον, *inquit,* τὸ ψεῦδος. *Mendacium ita iuuisum mortalibus, vt nihil oderint facilius. Mendacio etiam viliora sunt mancipia: quibus hoc pœne proprium est. Vtrumq; enim verum: & seruos esse confutos, vt ita dicam, ex mendacijs: itaq; in comœdijs ipsorum sunt mendacia & doli: & qui mendacijs student, natura esse seruos. Itaque grauissimus scriptor Plutarchus in educatione pueritiæ hoc cum primis præcipit, vt verum amare, & verum dicere adsuescant pueri: atque hoc ille ait esse* ἱδροπρεπέστατον, *quod sine scelere prætermitti nequeat: & subijcit, quod partim hic dicitur, partim iam diximus.* Τὸ γὰρ ψεύδεσθαι δουλοπρεπὲς, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις μισεῖσθαι ἄξιον, καὶ οὐδὲ μετρίοις δούλοις συγνωστόν. *Mentiri, inquit, seruile est: quod meretur etiam odium omnium hominum: neque in mancipijs, quæ alicuius frugis sint, ferri debet. Quod si mendacium in abiectissimo homuncione fœdissimum, quanto in viro claro aut principe fœdius? Veritas in homine lux morum est: inde niueum pectus dixerunt de ijs, in quibus nihil sit fucatum. Aiebat Achilles, sibi inuisum esse, vt fauces Orci, qui aliud dicat, aliud sentiat: nemini non eius nota vox est: quam pro norma regum filij habeant, discantque ex hoc magistro & rege simplicitatem laudatissimam. Principi quoque poëtarum rectè visum fuit, sapientis esse ne quidem dicere mendacium, & qui hoc discernat, præcipuum gradum consecutum iam esse sapientiæ. Sic enim apud ipsum*

Plutarch. περὶ παιδ. ἀγωγ.

Ὅμηρ. Λ. Θ.
Ἐχθρὸς γὰρ μὲν κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν, Ὃς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει. Quod Sall. in Catilin. B. dixit, aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere. Et M. T. in ep. ad fam. lib. IIX. ep. 1. Solet n. aliud sentire, et loqui, neq tamen tantum valere ingenio, vt non appareat, quid sentiat, &c.

ipsum Minerua de Nestore: ψεῦδος δ' οὐ θρέα. πάλαι γὰρ πεπνυμένῳ ἐστί. Sed hæc indicandi hic est, non pertractandi locus. De mendacio enim & veritate latissimus campus. Quid enim illo teterius & deformius? quid laboriosius & perplexius? quid incommodius & magis vitæ noxium? Contrà quid veritate pulcrius & diuinius? quid facilius & luculentius? quid aptius rebus gerendis & vtilius, vel etiam felicius? Hic etiam ipsa Armenio in summo scelere perfidiæ opem videtur ferre: mendacio equidem in certissimum exitium se præcipitem dedisset, cum hac ratione sibi ad salutem viam muniat. Errauerat autem studio recuperandi dominatus & libertatis, vel potius grauissimo scelere perfidiæ se obstrinxerat. Τὸ φιλελεύθερον, id est cupiditas libertatis, homines varijs modis in miserias conijcit, dum vel non rectè vim libertatis accipiunt, vel nihil sibi oneris in vita ferendum existimant. Vulgus enim pro licentia & libidine libertatem accipit, dum legum vincula excutiunt, quibus certè salua libertate, cupiditates hominum constringunt. Itaque nos legum seruos pronunciant, vt liberi esse possimus: quin liberè legibus seruimus, ne brutis & quibuscunq; cupiditatibus turpiter seruiamus. Est autem rationi parere, idem quod parere legibus: quod omnes ex illo fonte bonæ leges profluxerint. Qui porro, quæ in vita mollibus grauia sunt, pro seruitute habent; viuendi rationem non intelligunt, & frustra conditioni mortalium reluctantur; quin & in præclaris consilijs qui labores & quidquid ceteroqui obstat, ferunt; faciunt virtuti consentaneum, quodq; hominibus, quousq; mutare nequeas, faciendum est. Esse hoc officij nostri non minus, quàm cetera, nobili illa ad Archytam epistola diuinus Plato docet. In conspectu omnium posita sunt, & in memoria hærent, hæc ab illo primum pronunciata, deprompta ex optimo in-

xerpretum: quod non nobis solum nati sumus, ortusq; nostri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici. Addit ille, quod non minus est graue, & cum primis necessarium: πολλὰ δὲ καὶ τοῖς καιροῖς δίδοτα τοῖς ἡμῶν καταλαμβάνουσι. Oportere ait nos momenta temporum & condiciones rerum obseruare, vt se offerant, & ad omnia nos accommodare: non moliri, quæ vel geri nullo modo à nobis possint, vel conantibus certum exitium adferant: sed molestias patienter deuorandas, labores magno animo ferendos, pericula fortiter declinanda, vt vitam, & quæ sunt in manibus bona tueamur: nonnunquam etiam, vt mala minuamus, quæ tollendi facultas nulla sit. Qui non ita existimantes secus faciunt, plerumque, vt Epimethei, discunt grauissimum errorem suum, cuius corrigendi locus non est.

At Cyrus, indicto silentio, iterum inquit: esto, iusta hæc sunt, Armenie, vel te ipso iudice: sed quid pro re nata nobis consilij das, quo vtamur? Ibi tum silentium tenebat Armenius, quoniam animo hærebat, consuleret ne, vt ipsum Cyrus tolleret, an iis, quæ antè facienda dixerat, contraria doceret. Tum eius filius Tigranes quærebat ex Cyro, &, dic mihi, Cyre, inquit, siquidem pater animo hærere videtur, iubesne ea tibi me consulere, quæ ex vsu tuo maximè esse exi-

existimo? Ac Cyrus, (animaduerterat enim, Tigranem, quo tempore vnà venationi operam dabat, docto quodam homine familiariter vsum, quem admiraretur Tigranes) audire magnopere auebat, quid diceret, & cupidè iubebat dicere, quod ipse sentiret. Ego igitur, inquit Tigranes, si patris & hæc consilia, & has actiones probas; in primis auctor tibi sum eius imitandi: sin tibi in omnibus videtur peccasse; censeo, ne imiteris. Igitur, inquit Cyrus, si quæ iusta sint faciam, minimè ipsum, qui peccet, imiter? Ita est, inquit. De tua igitur sententia pœna afficiendus erit pater: siquidem eum, qui iniuriam fecerit, pœna afficere, iustum est. Vtrum vero existimas, Cyre, satius esse, supplicium ne sumere, quod tibi commodo sit, an quod fraudi? Hoc si faciam, inquit, ipse de me supplicium sumam. At tu, inquit Tigranes, iacturam rerum tuarum maximam facias, si tum è medio tuos tollas, quando esse tibi eos, tua plurimum referat. Quomodo, inquit Cyrus, mea referat

plurimum, homines habere, quos perfidos deprehenderim? Opinor: si deinceps modesti fiant. Videtur enim ita se res habere: sine modestia neq; vllam aliam virtutem vsui esse. (Quomodo enim, inquit, vtatur quis robusto homine aut forti, nisi idem modestus sit, aut equestri arte prædito? quomodo opulento? quomodo procerum in ciuitate potenti aliquo?) Sed ornatus modestia & quilibet amicus vtilis est, & quisq; famulus bonus. Igitur hoc, inquit, dicis, patrem tuum vno hoc die modestum esse factum, cum prius desiperet. Prorsus igitur, inquit, hoc dico. Dicis ergo affectum esse animi modestiam, sicut dolorem: non disciplinam. Neq; enim si prudentem oportet fieri, qui modestus esse velit; subito ex desipiente fiat modestus. Quid, inquit, Cyre, numquámne accepisti, vnum etiam hominem, quod desiperet, cum potentiore ausum fuisse dimicare, eumq; posteaquam victus esset, derepente desijsse aduersus alterum desipere? an item, inquit, numquam vidisti, ciuitatem

se

se opposuisse ciuitati alteri? quæ et ipsa victa scilicet, subitò huic maluerit parere, quàm redintegrare bellum. At quomodo, inquit Cyrus, tu patrem superatum aiens, modestiorem ipsum factum tantoperè asseueras? Quoniam ipsemet nunc satis intelligit, se libertatis desiderio in maiorem seruitutem demersum: quæq; censuerit cælanda, aut inuestiganda, aut vi aggrediendà; se nihil omnium potuisse gerere: contrà intelligit, te, quacunq; in re ipsum fallere volueris, ita fefellisse, ac si quis cœcos, aut surdos, aut mente non præditos falleret: quæq; putaueris cælari oportere, ita intelligit per te cælata, vt, quæ sibi firma propugnacula putabat esse, ea tu ipsi compedes iampridem feceris: quod animaduerti tamen non potuerit. Celeritate verò ipsum tantoperè superasti, vt longè anteuerteris, adducto ingenti exercitu etiam antè, quàm ipse copias collegisset. Videturne tibi, inquit Cyrus, hac tanta infelicitate homines eò modestiæ posse perduci, vt alios se præstantiores esse intelligant? Multò

equi-

equidem magis, inquit Tigranes, quàm si quis prælio superatus sit. Qui namq; viribus victus sit; aliquando, exercitato corpore, denuo pugnandum sibi censuerit: atque etiam ciuitates captæ, adscitis sibi sociis, nouo prælio sibi dimicandum putent. Quos autem homines sese præstantiores esse arbitrati fuerint, his etiam sæpe nulla necessitate imposita parere cupiunt. Tu, inquit, videris existimare: contumelioſos non nosse modestiores: neq; fures, alieno abstinentes: neq; mendaces, vera dicentes: neq; iniustos, iusta facientes? An ignoras, inquit, etiam patrem tuum mentitum fuisse, neq; perstitisse in fœdere nobiscum icto, quamuis sciret, nos religiosè omnia seruare, quæ Astyages pactus erat? Sed neq; id ego dico: si quis tantùm nouerit meliores, ea re ad molestiam perduci homines, nisi ipsi etiam pœnas dent melioribus, quemadmodum iam dat pater meus. Atqui, inquit Cyrus, hicce pater tuus nihil dum quidquam perpessus est mali: metuit certè, (neq; enim dubito) omnia extre-

extrema supplicia. Censèn' igitur, inquit Tigranes, magis in seruitutem deijci homines ita vehementi metu? An nescis, ferro percussos, quæ acerrima pœna creditur, velle tamen denuo cum iisdem dimicare? quos autem valde homines metuant, non posse intueri eorum, etiam consolantium vultus? Ain' tu, inquit, metum esse maiorem pœnam hominibus, quàm si re ipsa plectantur? Tu ipse, inquit, scis, me vera dicere. Nosti enim, eos, qui metuunt, ne in exilium ire iubeantur, quiq; præliaturi metuunt, ne succumbant, prorsus exanimes esse: nauigantes item, ne nauem frangant: et qui seruitutem & vincula metuunt; hi neq; cibum neq; somnum queunt capere præ metu. At qui iam exulant, qui victi sunt, qui seruitutem seruiunt, quandoq; libentius, quàm ipsimet beati, edunt & dormiunt. Præterea magis ex his patet, quàm graue onus sit metus. Nonnulli enim, qui metuunt, ne comprehensi supplicio afficiantur, antè præ metu mortem obeunt, & vel se dant præcipites, vel

laqueo vitam finiunt, vel sibi manus adferunt. Vsque adeo omnium, quæ premunt homines, metus maximè percellit. Patrem vero meum, inquit, quomodo nunc affectum animo esse existimas, qui non solum sibi, sed etiam mihi, & mulieri, & omnibus liberis seruitutem metuit? Tum Cyrus inquit: facile crediderim, eum ita modo affectum esse: sed mihi in eundem hominem cadere videtur, vt & rebus secundis contumax sit, & deiectis repente trepidet, & restitutus denuo spiritus sumat, & vicissim negotia facessat. Verum equidem, inquit, Cyre, occasionis prorsus nihil reliquum est: vt nobis minus fidatis: potes vero etiam castella munire, quæq; iam firma sunt, tibi seruare, & quo velis nos cunq; tibi pignore fidei astrinxeris. Atq; sanè, inquit, non iccirco admodum graui dolore afficiemur. Meminerimus enim nosmet ipsos in culpa esse. Quod si iam alicui, qui nihil in te vmquam deliquerit, imperium crediderit, & videberis eidem diffidere; vide, ne

de, ne, licet in alium beneficium conferas, de tua tamen beneuolentia dubitent. Quod si vero declinaturus odium, ijs iugum non imposueris, ne insolescant; vide, ne multo magis eos ad modestiam reuocare necesse habeas, quàm de nobis necesse fuerit. Minimè vero equidem, inquit, mihi ministros libenter habeam, quos scirem coactos officium facere: contrà, quos animi mihi beneuolentia et amicitia coniunctos in officio futuros scire mihi viderer; hos etiam peccantes æquiore animo, quàm alios, qui me odissent, & vt plurimum omnia coacti facerent, laturus videor. Ad hæc ita Tigranes: á quibus, inquit, maiorem vmq̃ amicitiam ineas, quàm quantam à nobis possis consequi? Ab illis arbitror, inquit, qui nobis numquam hostes fuerint; si velimus eos beneficiis afficere. Anne vero etiam possis, inquit, Cyre, nunc in præsenti inuenire, in quem tantum gratiæ conferas, quantum in patrem meum? Iam, inquit, si quem sinis viuere, qui nulla te iniuria affecerit, quam tibi ea gratia gra-

tiam habiturum putas? Quid vero, si ei liberos & vxorem non eripias, ecquis te eo nomine magis amabit, quàm hic, qui existimet, se meritum esse, vt illi sibi eriperentur? Armeniorum autem regnum nisi tenebit pater, ecquem maiore scis dolore affectum iri, atq; nos? Quare etiam, qui hac de causa maximo dolore afficeretur, si rex esse desinat, hic ipse etiam recepto regno, maximam tibi gratiam habuerit. Quod si vero etiam tibi, inquit, cura est, & quo pacto hæc quàm minimè perturbata relinquas abiens; considera, inquit, vtrum censeas hæc ipsa quietiora futura, nouo regno constituto, an conseruato veteri? Quod si vero etiam tibi cura est, vt copias quàm maximas hinc educas, quem censes eas potius posse rectè conscribere, quàm ipsum, qui illis sæpe vsus fuerit? quod si & pecunia opus erit, quos eam censes suppeditare melius posse, quàm eum, qui & nouit illam & habet omnem? Optime, inquit, Cyre, caue, ne nobis repudiatis, maioribus te incommodis afficias, quàm

quæ

quæ potuerit tibi pater importare. In hanc ille sententiam dicebat: neq; non eius oratione Cyrus supra modum delectabatur, quoniam arbitrabatur, iam finem iis omnibus imponi, quæ se perfecturum Cyaxari promiserat. Recordabatur enim se dixisse, se putare, amiciorem se ipsum facturum, quàm fuisset antè.

Exemplum debitæ filij in patrem pietatis. Cum enim à parentibus accipiamus vitam, alimenta & liberalem educationem; (est autem nihil iucundius, quàm hunc solem aspicere: nihil vtilius, quàm necessaria vitæ habere: nihil diuinius, quàm pectus scientia, vitam expolire moribus) quid non illis debemus? vel potius, quid persoluere gratiarum pro tantis meritis possumus? Hoc igitur bene se habet, quod in media disputatione de amicitia legitur apud Aristotelem: reposci in amicita id, quod præstari possit, non id, quod ex merito debeatur. Hoc namq; non exstare in omnibus, prout non inuenitur in cultu numinis & parentum. Neminem enim ipsis, quod quantumq; debeatur, tantum posse rependere: neque tamen non, qui illos colat, quantum in ipso sit, eum in bonis viris habendum. Sententiam conatus sum reddere: verba summi magistri hæc sunt: τὸ ἀμοιβὴν γὰρ ἡ φιλία ὀφείλεται, οὐ τὸ κατ' ἀξίαν. οὐδὲ γάρ ἐστιν ἐν πᾶσι, καθάπερ ἐν τοῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς, καὶ γονεῖς. οὐδεὶς γὰρ τῷ ἀξίαν ποτ' ἂν ἀποδοίη. εἰς ἀμοιβὴν ὃ ὁ θεραπεύων, ἐπιεικὴς εἶναι δοκεῖ. *Quodsi iam θεραπεία, id est alimenta debentur parentibus, quæ*

non negent, nisi impij & conscelerati liberi, (numq; enim liberi parentibus, quæ debent, sicut aliquando parentes renunciare possunt liberis) quanto magis ipsorum salutis custodia? Hic eam desperatam prorsus & pœnè amissam patri studet recuperare Tigranes. Hac etenim lege obstringuntur non minus regum filij, quàm humillimus aliquis mortalium: quin multo magis, quò à suis illi parentibus maiora accipiunt bona. Neque enim vlla est imperij ad priuatorum facultates comparatio. στοργῆς siue huius intimæ erga parentes affectionis exemplum, in ciconia esse ab ipsa omnium parente impressum, autumant: vnde hoc officium dictum fuit ἀντιπελαργεῖν, ac si dicas reciconiare: quod non abijciendum putauit magnus ille Scaliger: qui hanc rem expressit ἐπιδορπίσιν, hoc diuino epigrammate, quo ita extollit gratum animum, vt crimen ingrati animi cum σφακέλῳ comparet, id est (si licet ad rem potius respicere, quàm ad medicorum accuratiorem disciplinam) obstupefactis sensibus: quod, vt qui illo morborum grauissimo correptus sit, perierit; ita nihil spei concipere de ingrato vmquam liceat. Vultur Aphricanus.

ἀντιπελαργεῖν. reciconiare.

Lesbonax.

Δίκαιον δὲ ~~τινος~~ τοὺς πατέρας ὑμῶν ὑφ' ὧν ἐτράφητε, ἀντιγηροτροφῆσαι. ἀντιπελαργεῖν.

Epidorp. 126. exot. exer. 231.4.

Patrem senio iam gelidum, situque fractum,
Nudo capitis caluitio, atque glabritate,
Ecce reficit munere vultur Africanus.
Hoc idem grata ciconia: cui Græcia verbum
Iccirco nouum condidit, ἀντιπελαργεῖν.
Pro quo Latium det, reciconiare, nostris.
Hæc tot cano verbis: quia quocunq; nefandæ
Peior sphacelo obliuio gratiæ receptæ est.

Apud comicum autem, auibus, est relata lex è tabulis ciconiarum, in hanc sententiam: vbi ciconia liberos eousque nutrierit, vt euolent, pulli parentes alunto.

Αλλ'

Ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν, inquit, τοῖσιν ὄρνισι νόμος
Παλαιὸς, ἐν τοῖσι τὴν πελαργῶν κύρεσιν.
Ἐπὴν ὁ πατὴρ ὁ πελαργὸς ἐκπεπαιμένους
Πάντας ποιήσῃ τοὺς πελαργιδέας τρέφων,
Δεῖ τοὺς νεοττοὺς τὸν πατέρα πάλιν τρέφειν.

Secundum est: omnium esse primum in educatione regiorum liberorum, vt ab hominibus doctis erudiantur: quemadmodum apud se habebat Tigranes σοφιστὴν, non garrulum inanis sapientiæ ostentatorem, qui postea sophistæ appellati sunt, sed prorsus grauem virum & eruditum, qui quotidie Tigranis ingenium acueret, animumque regijs præceptis informaret, vt moderatis affectibus & domitis cupiditatibus, tum priuatim honestè viueret, tum publicè omnia ad salutem populi referret, nihil dubitans in ea quoque suam felicitatem sitam esse: denique si opus esset, consilium in quouis negotio & periculo non longe gentium aliunde arcesseret, sed penes se haberet, quod depromere ex opibus animi, & quo vti posset. Qui sic institutus sit; etiam alium audire possit, si quid desideret: qui non sit; apud eum neque Nestor profecerit, ac ne Minerua quidem. Qui tentabit, non solum vtplurimum operam ludet, sed sæpe se quoque in periculum vitæ præcipitabit, cum ad iram irritabit eum, cuius libidini vel apertè, vel summa etiam arte aduersabitur. Potentis enim indomiti ira, mors est. Sed plura de his dicentur alibi, & dicta sunt à me multis in locis: est & operæ precium, quæ sapientes olim tradiderint, cognoscere, & grauissimi scriptoris Plutarchi opuscula eruditissima super hac re legenda sunt. Hic præter veteris tragœdi oraculum nihil addam, quo docemur, principum filios sapientes euadere sapientum consuetudine. Σοφοὶ, *inquit,* τύραννοι τὴν σοφῶν συνουσίαν.

Sermo

Sermo Tigranis eruditus est & prudens: eius omnes propositiones ponderandæ sunt: neq; tamen omnium examen hic instituemus. Quæ etiam verè dicuntur à Cyro, commodè declinantur, & proferuntur alia, accommodata ad leniendum Cyri animum. Etsi non erat hic æquitati locus, neq; misericordiæ, quando perfidè omnia ab Armenio tentata atq; acta fuerant: tamen bonis rationibus Cyro persuadet, vt in gratiam illum recipiat, & de ipso in regnum restituendo cogitet. Multa dicuntur præclarè περὶ σωφροσύνης, quæ est hîc non solum temperantia, sed omnis animi moderatio, atq; modestia: quam diuinum esse munus scripsit Sotades, & parari à nobis posse, si nos & nostra apud animum expendamus. Eius sunt versus:

ἂν σωφρονέῃς τοῦτο θεῶν μέγιστον ὑπάρχει·
ἢ σωφροσύνη πάσχειν, ἐὰν μετρῇς σεαυτόν.

Virtus autem ipsa, quæ est animi habitus, non vno momento compararetur: tamen animum vbi deiecerit calamitas, modestiores effici dicimur: etsi tum primum ad vestibulum accedimus modestiæ. Ex pluribus vnum præterea indicabo: regium esse, clementer se gerere, non solum habita ratione δικαιότητος, siue æqui boni, sed etiam euidentis vtilitatis: vbi si persequaris, quod iustissimum sit, id cum summo periculo vel publico incommodo fiat. Hoc primario argumento Tigranes Cyri animum expugnat: quando in hoc negotio quoque id ita se habere, conatur euincere.

Deinceps ergo quærebat ex Armenio: quod si in his vobis obsequar, dic tu mihi, inquit, Armenie, quid tu mihi polliceris copiarum? Respondet igitur Armenius: nihil, inquit,

inquit, Cyre, habeo simplicius dicere, neq; iustius, quàm si ostendam tibi vniuersam potentiam, quæ nobis est, vt, vbi videris, quantas copias videatur, abducas, ceteras, quæ sint præsidio regioni, relinquas. Iiidem de pecunia, par est, omnem me tibi, quam habeo, aperire, vt vbi cognoueris, quantum velis, auferas, & relinquas, quantum velis. Ibi ait Cyrus: Age, narra, quanta est tua potentia? dic item, quantum tibi pecuniæ? Tum igitur ait Armenius: octo millia sunt equitum Armeniorum: peditum vero ad quadraginta millia. Sed pecuniæ, inquit, additis thesauris, quos mihi reliquit pater, si rationes in argentum conferantur, sunt talenta ter mille, & amplius. Non neglexit hoc Cyrus, sed inquit: copiarum alteram partem, quoniam tecum, inquit, finitimi Chaldæi bellum gerunt, ad me mitte: de pecunia verò pro quinquaginta talentis, quæ pendebas, duplum Cyaxari solue, quoniam inferre neglexisti. Mihi autem alia centum da mutua: ego tibi polliceor, si meas res for-

tunabit Deus, me pro hoc mutuo maiore te beneficio affecturum, aut renumeraturum pecuniam, modò possim. Sin minus potero; non satis à pecunia fuisse instructus: neq; tamen mea sententia, propterea meritò iniustitiæ condemnandus videri possim. Tum, per Deos, inquit, Cyre, ne ita dixeris: sin; animum mihi minueris: sed puta, inquit, etiam, quæ hic relinquis, non minus tua esse, quàm quæ tecum aufers. Esto, inquit Cyrus: quid autem pendas pecuniæ, vt mulierem recipias? Quantum, inquit, possim. Quid porro, vt liberos; Et hac de caussa, quantum possim. Igitur, inquit Cyrus, duplum eorum, quæ iam decreta sunt, his nominibus solues.

Alius Cyri & Armenij sermo, quo hic cum illo pacisçitur. Armenius simpliciter omnia refert, hoc est sine dolo & prorsus verè. Qui falsa enim loquuntur, eorum perplexa est, sed contra simplex veritatis oratio: quemadmodum celebratur ex Euripide: ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἴφυ. Aliud depromam ex verbis Cyri: ἂν θεὸς εὖ διδῷ: quidquid est felicitatis, id obuenire hominibus à Deo: datori acceptum esse ferendum. Illud ignorare neminem: hoc facere quemlibet oportet. Hoc educatis in veræ

pietate

pietate nouum non est: sed tamen iucundum videre & recordari, quemadmodum luce naturali hoc ipsum plerique ex omnibus gentibus viderint, nonnulli etiam eam ob causam sanctius vitam instituerint, & ad æternum illud numen in omni vita respexerint. Sed quid inter superstitionem & veram in Deum pietatem intersit, explicare; doctrinæ sublimioris est.

Tu autem, inquit Tigranes, quanti merceris, vt mulierem recipias? Recens autem duxerat vxorem, quam & supra modum amabat. Ego, inquit, Cyre, vel animam emam, vt ne vmquam illa seruiat. Tu igitur, inquit, abduc tuam. Neq; enim eam, quòd capta est, captiuam esse iudico, cum tu numquam nos fugeris. Tu quoq; Armenie, abduc mulierem & liberos, nihil ea de caussa reponens, vt se ad te reuerti liberos nouerint. Iam vero, inquit, cenate apud nos: cenati discedite, quo vobis libet.

Apud Euripidem Orestes ait, prorsus beatum, qui felix sit in ducenda coniuge: contrà, qui infelix, huic & domi & foris esse misera omnia. Principium illius felicitatis est vtriusq; animorum coniunctio, siue in vtroq; fides: vt hic in Tigrane erga suam: paullò inferius ipsius mulieris in Tigranem: amor videlicet prorsus mutuus. Maior

autem in nemine sit, neque melior, quàm si quis vita cariorem coniugem habeat: neque felicior, quàm si contrà fiat. Cum sit ardor in brutis etiam animantibus, qui oritur ex natura, quæ λοινωνίαν, id est communitatem, esse voluit mari ac fœminæ arctissimam; quanto magis vnà esse fidem in hominibus fas est? Non enim tantum sobolem procreant & educant, sed etiam possunt mutua beneuolentia frui, quæ omnes suauitates superet, ope mutua se fulcire, quo nihil est firmius, coniunctas molestias laborum exhaurire, quo nihil efficacius. Facere eos dicerem, nisi sæpe contrà fieri viderem, vt acerbitates vel mutuæ inter ipsos sint, vel ab alterutro, quo nihil est amarius, vt contentiones quotidianæ, quibus debilitentur animi, vt negligentia res familiaris effluat, quo nullum damnum sit grauius. Hos miserrimos esse facilè conuicerit Orestes, qui scilicet in viuis apud inferos esse videantur: & verisimile est, profligatis Gratijs, furias in tam infelicium hominum nuptijs feralem vlulasse hymenæum.

Alterum hic est: sæpe bonos & præstantes doctrinæ viros, bene de mortalibus merentes, indignis præmijs affici. Melius de vniuersa Armenia mereri nemo potuit, quàm hic vir eruditus, qui regis filium ad iustum imperium educabat: tamen ipsum rex non tulit, & inscitia, valde equidem graui, è medio sustulit. Linum quoque ipse Hercules dicitur ad necem pulsasse. Quàm multi summa innocentia viri, quorum vel erga reges, vel erga ciuitates summa exstabant merita, tum à regibus, tum à populo, vel solum vertere iussi, vel in vincula conjecti, vel supplicio capitis affecti sunt? Qui igitur ex humili loco in regias ascendunt, vel splendore dignitatis, vel spe opum allecti, ad similem exitum animo se parent, & in primis caueant, ne calumniam & inuidiam irritent. Illam excitare facile est, &

ipsa

ipſa plærumque in inſidijs ſedet: hæc ſomnum oculis numq̃; videt, & tum alijs meditatur exitium, tum auctori viuo videntiq; minimè parcit. Eſt enim inuidia nihil quidem iniuſtius: ex altera tamen parte ipſa quoq; iuſta, quoniam ipſum etiam inuidum mordet, vt eſt in verſu veteri: δικαιός ἐστιν ὁ φθόνος: τὸν γὰρ φθονοῦντα δάκνει. Neque in leuibus malis, ſeu potius in acerrimis bonorum hoſtibus eſt potentiorum ſuſpicio, quibus arida fomenta cupidè ſubminiſtrat calumnia. Suſpicio facile irrepit in animos eorum, qui vel ipſi mali ſunt, vel minimum intelligunt, vel circumſcripti fuerunt à pluribus. Ab hoc animi morbo regum filij ſe vindicabunt, ſi boni eſſe ſtudebunt, ſi prudentes, quo minimum falluntur, ſi intelligentes partium vitæ hominum, & generum: etſi hæc omnia comprehendit in ſe prudentia. Didicerint quoque & meminerint vtriusq; generis exempla, vt quod ſæuius actum ſit aduerſum benemeritos, deteſtentur, vbi ornati præmijs digni, & cum primis, qui vitæ rectè degendæ, & imperij benè feliciterq; gerendi duces fuiſſent, æmulari adſueſcant, tum vt ipſi benè audiant, tum vt ad poſteritatem exempla clementiæ & munificentiæ præclarè poſitæ relinquant. Sed quod conſilium capient humiles? Primum, ſi ſapient, tutiſſimo vtentur, vt, ſua tenuitate contenti, libertate fruantur potius, quàm fortunati ſeruiant. Alterum, vt ſiue conſilio in aulam quis appulerit, ſiue ad eam fortè reiectus ſit; ſe antè, quàm ex alto decidat, recipiat in æquum locum, vnde aſcenderat. Tertium, ſi quis nolens teneatur, vel etiam volens, exhauriat quantum poſſit laborum, moderetur animo, cum aliqua ſpe boni exitus, contraria tamen omnia exſpectet eo animo, quo quemque mortalium exſpectare omnia neceſſe eſt. Prorſus enim alioqui, mortalium cuilibet, cuiuſcunque loci ſit atq; ordinis, exſpectare omnia,

necesse est: neque sibi quisquam policeri quidquam certæ & perpetuæ felicitatis potest: neque vllus est casus, vel, vt cum Electra Euripidis loquar:

Neque tam terribilis vlla fando oratio est,
Neque sors, neque, ira cœlitum inuectum, malum:
Quod non natura hominum patiendo perferat.

Ita ergo manebant: considentibus vero adhuc illis à cena, quærebat Cyrus: dic mihi, inquit, Tigranes, vbi ille vir est, qui vnà nobiscum venabatur? cum tu mihi valde admirari videbaris. An non, inquit, eum hic meus pater sustulit? In quo deprehensum facinore? Aiebat, ipsum corrumpere me: quamuis, Cyre, tanta ille erat virtute præditus, vt & mortem iamiam oppeturus me arcessitum sic compellarit: ne tu, Tigranes, inquit, grauiter ideo tuo patri succenseas, quod me interficit. Non enim malitia quadam animi hoc facit, sed inscitia. Quæcunq; autem inscitia peccant homines; ego præter ipsorum voluntatem fieri iudico. Cyrus igitur hac de caussa: Ah, inquit præstantem hominem. Ibi tum sic Armenius: Cyre, neq; qui alienos viros cum suis mulieribus

ribus colloqui deprehendunt, eos è medio tollunt, quod impudiciores faciant; sed quia sibi persuasum habent, auferre eos sibi debitam amoris beneuolentiam, igitur hostilem in modum tractant. Ita ego illi inuidebam, quod mihi filium in sui admirationem à me abripere videbatur. Ibi Cyrus, Per Deos equidem, Armenie, peccasse mihi humanitus videris: actu, Tigranes, ignosce patri. Cum igitur de eiusmodi rebus sermonem contulissent, & ita humaniter, sicut à reconciliatione fieri par erat, fuissent excepti, conscensis vehiculis ipsi, vnaq; mulieres, læti abierunt.

Pulchrum in Tigrane & pium, qui dolet acerbum sui magistri casum, & animo indignatur. Cum stomacho enim Cyrum de eius interitu docet. Hoc enim sibi vult, ni fallor, interrogatio non sine vi asseuerationis. Consentaneus exitus vitæ in studio veritatis & virtutis actæ. Nam vir ille, idem haud dubiè optimus & doctissimus, & fortiter mortem obit: quo enim tempore grauia quis & singularia vitæ præcepta tradit, eo abiecti animi non est: & sapienter consulit saluti publicæ, dum filium patri placat, iubens, vt tam atroeem iniuriam deuoret. Pulchrum denique, quod Cyrum miseret calamitatis tanti viri. Magnum enim hoc signum humanitatis; iustitiæ & pietatis.

Locus

Locus erat hic explicandi, ni breuitati ſtuderem, quod ille vir mortem obiturus dixit, inſcitia peccare potius Armenium, quàm conſulta malitia. Platonicum eſt, ex inſcitia pullulare, quidquid eſt mali atque vitij: qui & in quadam epiſtola, δι' ἀμαθίας, inquit, πᾶν κακὸν πᾶσιν ἐξεικάζων: ſed hoc minus propriè, egetque commodæ interpretationis. Verum id non vult hic locus: immo aliud: non eſſe peccata vnius generis: ſed alia committi ab hominibus vltrò, alia ab inuitis, quorum illa ἑκούσια, hæc ἀκούσια dicuntur: hoc autem Armenij pœne ἀκούσιον eſſe, & commiſſum aliqua ignorantia, vt excuſari fortaſſe poſſit. Tamen hæc non erat ignorantia, cui venia deberi videretur: ſiquidem volens fecit, etſi non prorſus conſulto ſiue ex proæreſi, ſed motu animi abreptus. Nam ἀκούσια, quæ inuiti facimus, bifariam ſe habent: vel vt vis adhibeatur nobis, vel faciamus per inſcitiam, non eam, quæ legis eſt, aut facti, ſed alicuius accidentis actioni noſtræ. Notum enim cuique eſſe oportet, quid faciendum ſit, quod noſſe quimus, vel ex lege ſcripta, vel etiam ex non ſcripta, ſed inſculpta mentibus noſtris: neque ignorat quis ſanæ mentis, quid agat, ſed in eo, quod agit, ſiue inter agendum, agentem quid poteſt fugere: ſed hæc accuratiorem explicationem poſtulant. Neque tamen non ita ſe habet, quod ait Cyrus: humanum id fuiſſe: ſic ſunt & ceteræ animi perturbationes, vt amor, ira, odium: ſed quæ ex his oriuntur, aliquando paullulum, numquam ſatis purgari queunt. Pulchrum nihilominus conſilium Cyri, cum ſententia illius docti hominis conueniens, vt filius parenti ignoſcat. Filius enim Tigranes, quamquam atrox iniuria Armenij, & in eo facto exemptum tyrannidis.

Ceterum

Ceterum domum reuersi prædicabant Cyri, alius sapientiam, alius tolerantiam, alia mansuetudinem, alius speciem & staturam. Ibi ergo Tigranes ex muliere quærebat: num & tibi, inquit, Armenia, pulcher esse Cyrus videbatur? Atqui per Iouem, inquit, ego ipsum contemplata non fui. Quem vero igitur? inquit Tigranes. Eum per Iouem, qui aiebat, se anima redempturum, ne ipsa seruirem. Tum igitur illi eiusmodi habitis inter se sermonibus, vt par est, acquiescere.

Hoc regium est, amplissimam sui prædicandi materiam præbere omnibus. Primum prædicatur Cyri sapientia, quæ est ceterarum virtutum regina siue magistra. Ipsa enim familiam ducit, nec vlla sine ipsa virtus est: vel potius ipsa est virtutum omnium anima. Sed sapientiam hic intellige prudentiæ excellentiam. Deinde animi fortitudo, cuius certissimum est argumentum laborum patientia. Etiam humanitas prædicatur, qua clementissimè vel erga hostes vteretur. Neque deerant, qui bona corporis in Cyro admirarentur: quin forma in regibus tanti est, vt prouerbio locum dederit: quando, quod à pluribus celebratur, prouerbij vim prorsus obtinet. Vniuersum igitur vulgus, pleno decantabat ore, quod hauriebat oculis: plerique clementiam, quam in rebus suis, & totius regni conseruatione fuerant experti: milites militare decus: primates sapien-

Vt hic se gerit Tigranis vxor, ita Alexandri Roxanen depinxit Aëtion in tabula, quam ludis olympicis spectandam proposuit, vt refert Lucianus, qui eam tabulam se ait vidisse in Italia. καὶ ἡ ῥωξάνη κάθηται, πάγκαλόν τι χρῆμα πρθένου, εἰς γῆν ὁρῶσα, αἰδουμένη ἑστῶτα τὸν ἀλέξανδρον. *Si libet, spectemus vniuersam picturam. Thalamus est pulcherrimus, & lectus genialis: aßidet Roxane, qua virgine nihil formosius: ipsa in terram intuens, reuerita Alexandrum. Sed Cupidinum aliqui & ipsi adstantes, arrident suauiter: vnus à tergo, demit puellæ ornamenta de capite, ostenditq; Alexandro Roxanen: alius quispiam satis seruiliter ei de pede detrahit sandalium, quasi decumbat iam: alius læna prehensum Alexandrum Cupido, ad Roxanen prorsus violentè trahit: verum rex ipse coronam aliquam præbet virgini: sed & adstat paranymphus Hephæstio cum face ardente in manu, innitens perquam formoso adolescentulo: is, ni fallor, Hymenæus est: neque enim nomen adscriptum erat. Ceterum ab altera parte imaginis alij Cupidines ludunt armis Alexandri: duo hastam eius ferentes, imitati baiulos, quando ipsi trabe, quam gestant, premuntur: duo alij vnum quempiam in clypeo positum, regem videlicet, hac illac trahunt, ansis prehendentes clypeum: vnus deniq; in thoracem (iacebat autem supinus) se abdiderat, quasi prætereuntes alios terrefaceret, velut ex insidijs.*

Ceterum postridie Armenius Cyro, et vniuerso exercitui munera mittebat: ac suis, quibus militandum erat, prædicebat, vt tertio die præsto essent: pecuniam quoq;, quam

Cyrus

Cyrus edixerat, duplam dinumerauit. Cyrus porro, quas edixerat ipse, acceptauit, remissis ceteris: quæsijt vero, vter ipsorum, filiúsne, an ipse, ducturus esset copias. Ibi simul responderunt, sic pater, vtrum tu iubebis: sic filius, ego à te non recedam, Cyre, neque si comitari me oporteat, vt calonem. Ibi subridens Cyrus ait: quanti velis, inquit, mulierem tuam audire, te in calonibus esse? Ac neq; opus erit, inquit, eam audire. Feram enim sarcinas. Itaq; quodcumq; ego faciam, ipsi licebit intueri. Tempus est nobis, inquit, conuasandi. Arbitror, inquit, adfore, conuasatis ijs, quæ pater dederit. Tunc igitur, posteaquam excepti erant milites, somnum ceperunt: postridie assumpto Cyrus Tigrane, & valentissimis Medorum, & de suis amicis, quot opportunum esse videbatur, obiens regionem perlustrabat, visum, quibus locis exstructa essent propugnacula: cumq; in editiorem quendam locum venisset, quærebat ex Tigrane: quinam illi montes essent, ex quibus Chaldæi excur-

sione facta prædas agerent. Eos ostendit Tigranes. Denuo interrogabat ille: illine montes modò ab hominibus deserti sunt? Minimè gentium, inquit, sed semper speculatores illic sunt, qui quodcunq; ipsi videant, indicent aliis. Quid igitur, inquit, agunt, vbi quid intellexerint? Præsidio, inquit, veniunt, in illa montium iuga, quàm celerrimè quisq; possit. His igitur auditis Cyrus, & re considerata, animaduertebat, Armeniis magnam regionis partem desertam esse, & incultam, idq; ob bella. Tum vero in castra regressi, sumpta cena, somnum ceperunt: postridie ipse Tigranes aderat, omnibus rebus ordine compositis: adiuncti ipsi erant equitum ad quatuor millia, sagittariorum ad decem millia, totidem etiam scutati. Cyrus interea, dum illi aduentabant, sacrificiis operam dabat: cumq; ipsi victima omnia felicia portenderet, conuocatis Persarum & Medorum ducibus, atq; tum præsentibus, dixit in hanc sententiam: Chaldæorum sunt, amici, hi montes, quos cernimus:

eos si

eos si ceperimus, atq; illud in vertice propugnaculum in potestatem nostram redegerimus; tum necessitatem vtrisq; imposuerimus & Assyriis & Chaldæis, ne quid vmquam aduersus nos moliantur: omnia fausta portendunt victimæ. Vt autem hæc ab hominibus promptissimè gerantur; nihil penitus tantum momenti habeat, vt celeritas. Quod si prius montem conscenderimus, quàm illi confluant; aut prorsus absq; prælio capiemus summum illud propugnaculum, aut cum paucis & infirmis hostibus nobis res erit. Nullus igitur labos facilior, neq; tutior, inquit, quàm vt festinatione rem aggrediamur. Arma igitur capessite: & vos, Medi, manum nobis sinistram tenete: vos vero, Armenij, altera pars dextram, altera præcedite: vos, equites, à tergo sequimini, nosq; cohortamini, & sursum vrgete, neq; concedite quemq; emollescere.

Regem etiam imperatorem esse oportet: imperatoris sunt virtutes propriæ & munera: in his, vt otio se numq; dedat, quo torpescunt homines in omni genere actionum: vt intentus sit rebus gerendis, ne occasionem amittat: vt

non quærat bellum, ad perturbationem & exitium generis mortalium: vt victoria potius salutem reddat populis. Quemadmodum & ceteros labores suscipimus, non vt cum perpetuis molestijs conflictemur, sed potius omnibus expeditis quietem nobis constituamus: quis enim non optat, sibi eum diem illucescere, quo partis bonis perfruatur? Ita bellum gerimus propulsandorum hostium gratia & pacis faciendæ. Pyrrhus haud ita erat affectus, sed bellum sibi gerendum putabat, quô bellum gereret, nulla pœnè cogitatione de fine suscepta: Achilles contrà affirmat, eum, qui perpetuo belli studio teneatur, nullam habere rationem ciuitatis, nullam legum, nullam priuatæ etiam vtilitatis. Nobilis est hæc, planeque digna tanto heroë oratio:

Αφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδήμιου ὀκρυόεντος.

Certè enim μιαιφόνος sit, hoc est crudelis, & quouis sicario sæuior, qui ex amicis sibi hostes faciat, vt bellum gerat, & manus cum alijs conserat: quemadmodum inquit philosophus, vltimo libro de vita & moribus. Decet igitur hic quoq; principem, intueri Cyri animum, consilia et facta. Seruat vero illud sedulo, quod à Sallustio relatum est, vt à consilio maturet: quod cum in omnibus rebus sit maximi momenti, tum in bellicis fortasse maioris: obseruatum quoque ab Alexandro Magno: qui & hoc professus fuisse legitur. Neminem fugit, quemadmodum responderit, cum quæreretur, qui tam repente tantas res, tam dissitis locorum spacijs, gessisset. Inquit enim: μηδὲν ἀναβαλλόμενος: hoc est, nihil procrastinatus, siue maturando. Hoc non minus valere in re familiari, olim docuerat Hesiodus, vbi ait, non futurum esse, vt qui inanes operas faciat, aut procrastinetur, horrea frugum impleat. Agendum enim est, quod ad rem faciat, & tempore agendum. Cur poëtam

tam non malis ipsum audire? οὐ γὰρ ἐτωσιοῤῥγὸς ἀνὴρ, ait, πίμπλησι καλιήν: ὅτ' ἀναβαλλόμενος. An vero non hoc perpetuo, & in omni genere vitæ valet? Non igitur est negligendum: moræ nocent maximè, & vniuersam rem euertunt: neque ex re est, leuiuscula & aliena pertractare. Vix me contineo, quin ostendam, quàm vtrumque fraudi sit bonis litteris: sed cuique hoc considerare non est difficile.

His dictis præcedebat Cyrus, manipulos in altum ducens. Chaldæi porro, cum animaduertissent expeditionem sursum agi, statim id suis significabant, & auxilia mutua inclamabant: atq; etiam confluebant. Sed suos ita instruebat Cyrus. Persæ, nobis illi significant celeritate opus esse. Si namq; illos anteuerterimus, & citius in montis verticem peruenerimus; nihil proficient hostes. Gestabant autem Chaldæi parmam & bina iacula: atq; hi dicuntur in illa regione bellicosissimi, & mercede militant, si quis eorum egeat, tum ob peritiam rei militaris, tum ob inopiam. Etenim montana est ipsorum regio, & paucis in locis opum aliquid. Postquam vero Cyri copiæ proprius accesserunt ad montis verticem; Tigranes cum

Cyro

Cyro progrediens ait: Scin', inquit, Cyre, eueſtigio nobis eſſe pugnandum? Metuendum quoq;, vt Armenij ſuſtineant impetum hoſtium. Tum Cyrus: iam ſe monuiſſe Perſas, pararent ſe, vt quamprimum opus eſſet, inſtarent, quando ſimulata fuga Armenij inuitarent hoſtes, vt quàm proximè ad nos pergerent. Ita ergo præcedebant Armenij: tum quotquot ex Chaldæis aderant, cum propius acceſsiſſent Armenij, clamore ſublato, ad eos accurrerunt: neq; eos Armenij exceperunt, vt ſoliti fuerunt. Ceterum vbi Chaldæi, qui Armenios perſequerentur, viderunt aduerſos macharophoros ſurſum contendere; illorum alij, qui ſcilicet proximè acceſſerant, occidebant: alij fugæ ſe dabant, alij deniq; capti ſunt. Ita Perſæ & Armenij iuga ſtatim occuparunt: quibus occupatis domicilia Chaldæorum deſpiciebant, & ipſos è vicinis caſis fugere animaduertebant. Sed Cyrus, cum iam in vnum omnes locum conueniſſent, prandere iuſsit. A prandio porro, cum cognouiſſet, quo lo-

quo loco speculæ Chaldæorum erant, firmum esse, non aquæ inopiam, statim id castellum munijt, Tigranemq; iussit ad patrem mittere, & iubere secum adducere quotquot essent fabri & lapicidæ: ita abit hic nuncius ad Armenium. Interea adducunt ad Cyrum captiuos, constrictos vinculis, aliquos saucios. Eos vt vidit; vinctos iussit solui subito, saucios, acceßitis medicis, curandos tradidit: deniq; Chaldæos allocutus est: se adesse, non exitij ipsorum cupiditate, neq; belli gerendi, sed inter Armenios & Chaldæos pacis constituendæ gratia. Ante igitur, quàm hæc iuga occupassemus; pace vobis opus non fuisse, scio. Vestra namq; in tuto erant omnia: sed bona Armeniorum depopulabamini. Sed nunc videte, quo loco sitis. Ego igitur vos, quotquot arrepti estis, domum dimitto, vobisq; potestatem facio deliberandi cum ceteris Chaldæis, bellumne nobiscum gerere, an amicitiam colere malitis. Quod si bellum sumitis, ne posthac sine armis huc reuertimini, si sapitis: sin pace vo-

bis opus esse censebitis, inermes redite. Vt vestræ res bono loco sint, si amicitiam colere constitueritis; mihi curæ erit. His auditis Chaldæi, gratiis Cyro actis diligenter, crebrisq́ datis dextris, domum se retulerunt. Ceterum Armenius, vt audiuit, se vocari à Cyro, & quæ gesta essent, assumptis fabris, quibusq́ aliis rebus opus esse putabat, summa celeritate ad Cyrum venit. Vt vidit Cyrum: Quam, inquit, pauca homines præuidere valentes de futuris, multa conamur gerere? Iam enim etiam ego studiosus comparandæ mihi libertatis, in seruitutem grauiorem incidi: capti porro, nosq́ periisse arbitrati, plus salutis videmur consecuti, quàm vmq̃ antea. Hi enim finem nullum faciebant, multis nos malis afficiendi: quos ego modò eo loco esse video, quo maximè optabam: atq; hoc scire te velim, inquit, Cyre, me, vt deijcerentur ex his iugis Chaldæi, multo maiorem vim pecuniæ fuisse daturum, quàm cuiusmodi tu iam à me habes: quibus autem beneficiis pollicitus es, te nos

perieramus nisi periissemus.

affe-

affecturum, cum acciperes illam pecuniam: is iam nos ita cumulatè affecisti, vt insuper nouas tibi gratias nos debere profiteamur: quas equidem pudeat nos non referre, nisi improbi simus: quin si quas retulerimus, magnitudinem tuorum beneficiorum numquam videbimur assecuti.

Armenij ex vicissitudine ipsius rerum nata vox, digna est memoria. Sæpe cum consulere nostris rebus volumus, & optimam rationem inuenisse nobis videmur, secus cadunt omnia: inprimis quando astuta consilia potius, quàm honesta molimur. Vtplurimum enim rectis consilijs euentus respondet. Sæpe contrà, desperatis repente fortunæ lux oritur. Moderator omnium est summus ille Iupiter: multa dij præter spem efficiunt: quæ fuerint in maxima exspectatione, non euenerunt: contrà quæ minimè putasses; ijs exitum optatum inuenit Deus: quemadmodum est in aliquot tragœdiarum clausula apud Euripidem.

πολλῷ τ' ἀμίας Ζεὺς ἐν ὀλύμπῳ·
πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί·
καὶ τὰ δοκηθέν τ' οὐκ ἐτελέσθη·
τῷ δ' ἀδοκήτῳ πόρον εὗρε θεός.

Armenius, cum iam Chaldæi aderant, obsecrantes Cyrum, vt pacem secum faceret: tum quærebat Cyrus: aliáne gratia, inquit, Chaldæi, quàm hac, pacem mo-

do expetitis: quod ſtatuitis, commodius vos poſſe viuere, facta pace, quàm bellum gerentes? ſiquidem & nos hoc dicimus. Reliqua habemus, aiebant Chaldæi. Atq; ille, quid igitur, inquit, ſi & alia vobis bona accedant ex pace? Erit, aiebant, quod magis gaudeamus. Numquid igitur, inquit, aliam cauſſam veſtræ inopiæ arbitramini, quàm fundorum angustias? Hic quoque aſſenſi ſunt. Quid igitur, inquit Cyrus, velitisne vobis concedi ad arandum fundi Armenij, quantum cupiatis: hac lege tamen, vt pendatis, quæ Armenij? Aſſenſi & hic ſunt Chaldæi: modo nobis ſatis conſtet, nos ab illorum iniuriis tutos fore. Tu vero, inquit, Armenie, velisne deſertos modo agros deinceps coli, ſi coloni, quod apud vos penditur, pendere non recuſent? Hoc magno ſe redempturum aiebat Armenius. Quid vero, vos, inquit, Chaldæi, quia vobis ſunt paſcua in montibus, velitisne permittere ea depaſcenda Armeniis, ſi & ipſi, quod ſit æquum, pendant? Aſſenſi ſunt Chaldæi.

Per-

Percepturos enim multum emolumenti, nullo suo labore. At tu, inquit, velisne horum pascuis uti, si nonnihil in Chaldæos commodi conferens, ipse plurimum capias? Id admodum velim, inquit, si nos tuto ibi putem pascere. Nonne, inquit, tuto pascatis, si in iugis præsidia habeatis? Ita, inquit Armenius. Verum profecto, aiebant Chaldæi, nos neq; nostros agros tuto colamus, nedum ipsorum: si iuga illi teneant. Sin pro vobis iuga sint? Ita bono loco sint res nostræ. At vero, inquit Armenius, nostræ res bono loco non sint, si hice iuga recipiant, cumprimis, quæ munita iam sint. Ibi Cyrus: sic igitur ipse faciam, inquit: iuga neutris ego vestrûm tradam, sed nos ea custodiemus: quod si alterutri alteris iniuriam intulerint; à parte eorum stabimus, quos iniuria affectos esse constabit. Ubi utriq; hoc audierunt, tantopere probarunt, ut affirmarint, hac una ratione pacem stabilem futuram. Itaq; his condicionibus mutuam fidem dederunt, conuenitq; ita inter eos, ut Armenij apud

Chaldæos, Chaldæi apud Armenios liberi & tutò essent, affinitates inter se iungerent, ius inter se & agri colendi et pascendi haberent, societas esset ex fœdere, vt vtris bellum inferretur, aut iniuria fieret, ijs alteri opem ferrent. Sic illa tum transacta fuerunt: atq; etiamnum hodie eadem pacta manent inter Chaldæos & Armeniæ principem, de quibus tum conuenit. Vbi vero pacti iam erant de omnibus; statim communi studio muniendo propugnaculo operam dabant, vt communi futuro, & commeatum conuehebant. Sub vesperam cenatum vocauit vtrosq; ad se, vt amicos iam. Ibi inter cenandum ex Chaldæis aliquis: nihil his rebus optabilius sibi omnibus potuisse contingere: esse autem Chaldæorum aliquos, qui ex latrociniis viuant, neq; didicerint opus facere, neq; possint, vt qui ex militia victum parare soliti sint. Semper enim erant in prædis agendis, & mercede militabant: idq; sæpe apud regem Indorum, cui plurimum aiebant auri suppeditare, sæpe etiam apud Astyagem.

gem. Ibi Cyrus inquit: quid igitur apud me modo non mercede militant? Pendam enim ego illis, quam maximam quis etiam alius mercedem penderit. Assensi sunt, nec dubitarunt, multos fore, qui expeterent. De his igitur etiam ita conuenit.

Quàm regium est omnia referre ad declinandas calamitates hominum, & populis fecilitatem comparandam! In his non est leuissimum, animorum acerbitatem mitigare, & ex inimicissimis amicos efficere: cuius optimam nouit rationem Cyrus. Hic enim non solum, vt felix & potens, sed multò magis, vt beneficus & prudens arbiter: primum cuique suum assignat, quoniam ex iniuria, nempe alieni occupatione sunt querelæ, lites, inimicitiæ, bella: deinde conciliatos mutuis officijs obligat, quæ deserere neutri velint, si non, quòd officio fungi rectum sit, (hoc enim oculos vulgi fugit) certè propter vtilitatem maximam, siue summam etiam necessitatem. Homines namque in in tuenda vita & eius necessarijs parandis conseruandisq; vtilitatem necessariò sequuntur: neque idem minus necesse est bonis, etiamsi id non principe loco faciant. Quàm improbè etiam commodis suis multi sæpe studeant, ostendit consuetudo Chaldæorum, apud quos, qui militiæ operam dabant; ijdem etiam operam dabant rapinis: & fortassis hi quoque hoc laudi sibi ducebant. Nam priscis etiam illis & incultis seculis, cum neque dum ciuitates essent conditæ, neque leges latæ, ex rapto viuebant, habebaturq; ille melior, qui manu valentior esset. Atque vtinam latrocinia non subinde in cultis quoque gentibus renascerentur. Cum enim

enim bello alicui finis est impositus, aut dimissus alioquin exercitus; plerumq; iniurioſi vel egeni milites agros populantur non hoſtiles, & ex ijs prædas agunt, niſi ſupplicijs deterreantur. De priſcis eiuſmodi moribus locupletes ſunt teſtes Homerus & Thucydides. Minos, primus omnium, de quibus auditione accepimus, claſſem inſtruxit & imperium ferè omne tenuit Græci maris, & imperauit inſulis Cycladibus, & in earum plerasq; deduxit colonias, pulſis Caribus, ſuosq; filios illarum principes conſtituit: etiam piratis, quantum potuit, mare purgauit, vt reditus augerentur. Olim enim & Græci & barbari, & in Epiro maritimi, & quotquot erant inſulares, vbi cæperunt magis nauibus alijs ad alios tranſmittere, ſe conuerterunt ad latrocinia, ducibus minimè impotentibus, vt ipſi ſuas res amplificarent, & victum imbellibus inuenirent: irruentes in ciuitates non munitas, quæ per vicos habitabantur, diripiebant quidquid erat, & hinc potiſſimum ſibi alimenta quærebant, quando hoc facinus nemini dum dedecori vertebatur: immo gloriæ. Hoc probant maritimi etiam hodie aliqui, quibus laudi datur, ſi præclarè id faciant: itemq; poëtæ veteres, apud quos paſſim ex appellentibus de hoc quæritur: neq; inficiantibus hoc ſtudium, qui interrogantur, neq; exprobrantibus, qui hoc cupiunt ex ipſis cognoſcere. Infeſtabant vero etiam ſe mutuo latrocinijs in maritimis regionibus: atque in hunc vſque diem multa fiunt vetuſto illo modo in Græcia apud Locros, qui Ozolæ dicuntur, & Aetolos, & Acarnanas, & maritimam illam regionem. Ex hac etiam veteri latrocinandi conſuetudine hic ſeruatur, vt maritimorum locorum incolæ arma geſtent. Hæc Thucydides. Apud poëtam vero tum alibi ſimilia, tum hæc ſunt in Odyſſea: vbi ita Neſtor ex Minerua & Telemacho quærit:

Ω ξεῖνοι,

Ὠξεῖνοι, τίνες ἐστὶ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα,
ἢ τὶ κατὰ πρῆξιν, ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε;
οἷά τε λῃϊστῆρες, ὑπὲρ ἅλα τοί γ' ἀλόωνται,
ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες;

Quinam estis, hospites? vnde nauigatis? an est vobis aliquid negotij? an erratis, vt prædones mari errant, qui vita in discrimen coniecta, alijs extium machinantur? Verum Cyrus, bonique alij reges, & legumlatores huic malo nodo malum etiam cuneum inuenerunt, vt dicitur, astringentes alios laboribus: qui non pareant, eos supplicijs afficientes, vt otium publicum stabiliatur: quo turbato neque viuere, neque bene viuere licet.

Ceterum Cyrus, cum audisset, Chaldæos sæpe transire ad Indum: recordatus, venisse aliquos ab Indo ad Medos, exploratum res Medicas, eosq́ recepisse se ad hostes, horum quoq́ res speculatum: voluit etiam Indo innotescere, quæ ipse gesisset. Quare huiusmodi sermonem instituit: Armenie, inquit, & vos Chaldæi, narrate mihi: si quem ego meorum mittam ad Indum; adiungetisne mihi ex vestris, qui illi viæ duces sint, vnàq́ gerant, quæ ego confici vobis ab Indo cupio? Ego enim velim nobis accedere plus pecuniæ, vt sit & vnde liberaliter sti-

pendia ſoluam, quibus oporteat, & vnde honorem habeam, muneraq; largiar militibus, qui mereri videantur. His ego de cauſsis, quàm maximam mihi vim pecunias eſſe cupio: ea me egere exiſtimans: quòd mihi veſtris bonis parcere iucundum eſt, cum vos pro amicis nunc habeam: ab Indo autem libenter accipiam, modo det. Nuncius igitur, cui vos iubeo duces dare, qui ſimul quoq; negotium curent, vbi venerit illuc, dicet ad hunc modum: Miſit me Cyrus ad te, Inde: nunciat autem ſibi pecunia opus eſſe, quoniam alias quoq; copias exſpectat domo ex Perſis: (namq; etiam exſpecto, inquit) quod ſi igitur ipſi miſeris, quantum ſine incommodo tuo poſsis; ſi deus exitum ipſi felicem largiatur, ait ſe daturum operam, vt efficiat, quo cenſeas, bono te fuiſſe conſilio vſum, ſi ipſi morem geſſeris. Hæc à me ille referet: vos veſtris imperate, quod ex vſu eſſe vobis videatur. Quod ſi quid ab eo, inquit, nacti fuerimus, ea copia vtemur liberalitatis: ſin operam luſerimus, ſciemus, nos

illi

illi nihil debere gratiæ, licebitq; nobis, nihil de illo sollicitis, omnia ad nostram vtilitatem conuertere. Hæc dixit Cyrus, existimans, qui Armeniorum & Chaldæorum vnà proficiscerentur vltro de se dicturus, cuiusmodi ipse ab omnibus hominibus de se & dici & audiri expetebat: Ac tum demum, (quod & temporis ratio poscebat) dimissi è tabernaculo, quietem capiebant. Postridie cum Cyrus legatum mitteret, cum iis, quæ dixerat, mandatis; etiam Armenius, & Chaldæi vnà mittebant, quos maximè iudicabant idoneos, ad iuuandum negotium, & ad referenda de Cyro, quæ oporteret. Tandem igitur Cyrus, absoluto propugnaculo, imposito præsidio necessario, procuratis item, quibus opus erat omnibus, dato deniq; ipsis præfecto Medo, quem præ ceteris bene de Cyaxare meritum iudicabat; regrediebatur, abductis copiis, & quantas adduxerat & quas acceperat ab Armeniis, & militibus ex Chaldæis ad quatuor mille, qui se etiam vniuersis aliis præstare putabant. Vbi

vero descenderat in culta ab hominibus loca, nemo se Armeniorum continuit domi, neq; vir, neq; mulier: sed omnes progressi obuiam, sibi de pace gratulabantur: ferebant etiam vnà secum & adducebant, si quid quis haberent egregium: neq; quidq̃ horum molestum erat Armenio: quod existimaret, maiorem voluptatem percepturum, quoniam honore afficeretur ab omnibus. Postremo etiam obuiam processit Armenij mulier, vnâ cum filiabus, & minore natu filio, & præter alia munera, illud quoq; aurum attulit, quod Cyrus antè accipere recusauerat. Id Cyrus vbi videbat: non efficietis, inquit, vt regiones obiens ad beneficia conferenda mercede conductus videar: quin tu, mulier, pecuniam hanc, quam fers, tibi aufer, neq; posthac redde defodiendum Armenio: filium ea quàm pulcherrimè instructum in militiam mitte: de reliqua para, & tibi, & marito, & filiabus, & filiis, quæ vobis habeatis, quibus ornati, elegantius & suauius vitam transigatis: satis hoc sit, inquit, vt

vbi

vbi quisq; diem obierit, corpora humi condantur. Quæ effatus perrexit: euntem deducebat vnà Armenius & ceteri omnes: qui & sublata voce prædicabant, benè meritum, virum bonum: neq; finem faciebant antè, quàm vltra limites regionis deduxissent. Misit etiam cum eo Armenius maiores copias, vtpote pace iam domi constituta. Ita igitur Cyrus abijt, non solum ea instructus pecunia, quam acceperat: sed multo maiorem vim sibi moribus conciliauerat, qua potiri posset, quando opus esset. Castra deinceps metatus est in finibus: postridie & copias et pecuniam misit ad Cyaxarem, (erat autem hic in vicinia, vt receperat) ipse vero cum Tigrane & primarijs, sicubi in feras incideret, venatione se oblectabat.

Et hic permulta sunt digna consideratione. Initio Cyri φιλοτιμία, id est ingens veræ gloriæ cupiditas: non negligit, quid de se homines prædicent passim gentium & ad posteritatem: quod faciunt, qui aut ignauiæ se dedunt aut libidini: contrà, studet bene audire, non ab adulatoribus, aut alijs falsis præconibus: sed bene audire vult ex virtute, & res à se præclarè gestas nuncio veritatis in longinquas terras disseminari. Gloria enim præmium virtutis est, & eius

perpetua comes: quod si non esset, tamen virtus colenda est, & prorsus expetenda per se: sed tamen vulgus præmijs, reges, & quorum est aliqua animi excelsitas, maximè gloria excitantur. Quia vero virtus non nisi summo & perpetuo studio paratur: neq; egregia facinora absq; molestia & laboribus designantur: igitur præclarè dicitur, & non iniuria celebratur: decus esse ex labore: ἐκ πόνου κλέος.

Præterea operæ precium est principi videre, quo loco Cyrus opes & habeat & habendas doceat. Pecuniam sibi parat, atque etiam thesauros conquirendos esse iudicat, vt militibus suis benefaciat, & ex ijs potissimum ornet, qui se viros præ ceteris præstiterint. Sed idem vsum pecuniæ docet Armeniam, aurum referentem. Aurum reddit Armeniæ: an ignorat Cyrus, non omni ratione esse cumulandas opes? Reddit cum fœnore. Vincunt enim fœnus præcepta Cyri aurea: putes non regem loqui, sed philosophum: sed rex ipse loquitur, idemque philosophus: non esse aurum defodiendum: sic enim non habeas, quod habeas, nempe quo non vtaris: aut si habeas, habeas veluti perpetuum curarum fomitem, metuens, ne quod tibi carissimum sit, etsi inutile, amittas. Quid igitur, si erunt opes, eas in luxum conuertemus? Minimè vero: sed vtemur sibi quisq; & fruemur: in eo, quod vitæ genus colimus. Rex in repub. & ad militiam: præsertim adolescens, quem etiam fulgentia arma decorant, vt cum poëtis loquar, qui id passim celebrant, neq; minus raro Xenophon. Opes sunt instrumentum virtutis, benè educatis & bonis: quod intelligunt magis tenuiores, si virtutem colant. Nihil enim refert, etiamsi ijs abutantur mali: bonæ nihilominus sunt opes, vt imperium, vires, species, similia. Etsi enim malè his omnibus mali vti, vel potius abuti possunt, & abuntur vtplurimum: tamen omnia bona sunt, quibus boni

benè

benè vtantur. Nam, vt philosophus docet, quiduis horum cuiusmodi sit, vsu boni viri exploratur, non improbi. δοκιμάζεται γὰρ τῇ τοῦ σπουδαίου αὐτῶν ἕκαστον χρήσει, οὐ τῇ τοῦ φαύλου. Cetera quoq; hic sapienter: quemadmodum vsu diuitiarum κάλλιον καὶ ἥδιον, id est honestius & iucundius transigamus ætatem: neq; referre admodum, quàm magnificè cuiq; & sumptuosè funus fiat: modo terra obtegatur cadauer. Pyramides certe & Mausolea, monumenta sunt tyrannidis vel potentiæ.

Videamus appellationes honestissimas & planè diuinas, quibus celebratur Cyrus: quoniam hisce nominibus vniuersum regis officium continetur: τὸν εὐεργέτην: τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα: id est bene meritum: virum bonum: vel vt magis hoc explicem: virum bonum, quo nihil sit melius: ita bene meritum, vt melius non possit. Hæc sunt magnanimi, hæc magnifici, hæc regis, & pænè numinis: certè in vtroq; numen imitari reges decet. Regium est in primis, benè facere, quibus imperes: quî benè facias, nisi bonus sis? hoc primum & fundamentum: illud summum & veluti vniuersum ædificium, seu potius idea dignitatis regiæ. Contrà tyranni mali: quid mirum, si malefici? malefici certè, quia mali: maleficentissimi, quia pessimi. Illa igitur facta, & ex his factis deducta nomina reges magis decent, quàm à potentia & aliunde. Hæc dico nomina, & his similia: ita Ptolomæus quoq; tertius euergeta dictus fuit: alij etiam philosophi, ab exquisitis litteris & summa probitate: alij πολιοὶ καὶ πολιοῦχοι, à custodiendis ciuitatibus. Nomine Magni populi aures implentur: nec tamen virtus magis, quàm potentia iudicatur. Maluerunt alij terrori esse: & aut sibi sumpserunt, aut non respuerunt nomina, aut certè volentes nolentes dicti sunt, Poliorcetæ, Cerauni: item Aquilæ, Accipitres. Turpia item, Ptolomæus Phy-

sco à

ſco à ventris abdomine: alius Auleta à tibijs. Ex Germanis imperatoribus quoque & ducibus alij alia ſibi nomina inuenerunt, alia alijs honeſtiora: dicti ſunt magni, pacifici, craſſi, calui, aucupes, ſapientes, theologi: de quibus quisque iudicabit facile, quæ regibus conueniant potius, quæ indigna ipſis, quæ ex euentu ſiue caſu impoſita ſint. &ç.

Cum vero ad Medos veniſſet, pecuniam in ductores ordinum diſtribuit, quæ ſufficeret, vt & ipſi honorem ijs haberent, ſi quos de ſibi ſubiectis magni facerent. Exiſtimabat enim, ſi quisq; aliquos laude dignos redderet, in vniuerſo exercitu nihil deſideratum iri. Ipſe quoq;, ſi quid videret, quod militiam exornaret, id ſibi parabat, & dono dabat digniſsimis quibusq;. Sentiebat enim, quando copias præſtantes haberet; illis omnibus ſeſe ornatum eſſe. Sed cum in eos, quæ accepiſſet, partiretur, dicebat in hanc ferme ſententiam apud ductores ordinum, primipilos, & cunctos, quibus honorem habebat. Aliquid, amici, cauſſæ mihi eſſe videtur, quamobrem lætemur: tum quod fortunarum acceſsit aliquid: tum, quod in promptu iam eſt, vnde & nos honorem habea-

beamus, quibus velimus, et vobis possit haberi honor, prout quisq; vestrum mereatur. Omnino vero repetamus memoria, quibus denique rebus hæc nobis dona peperimus. Quod si enim accuratè rem consideretis; comperietis: nos consecutos omnia, & vigilando, vbi opus erat, & labores tolerando, & maturando, & hostibus non cedendo. Sic igitur nos & in posterum oportet præstantes esse viros, & nosse, magnas voluptates, magnas item vtilitates, obedientia & tolerantia, & laboribus in tempore susceptis, periculisq; comparari. Cum porro Cyrus animaduerteret, eam in militibus esse firmitatem corporum ad sustinendos labores militiæ: eam animorum magnitudinem ad despiciendos hostes: satis item scientiæ cuiq; suæ arma rectè tractandi: atq; omnes deniq; ad obedientiam superioribus præstãdam promptos videret: his omnibus de causis iam admodum cupiebat aliquid aduersus hostes suscipere. Norat enim, sæpe euenire per moram, vt ducibus etiam in egregio apparatu

aliquid variaret. Neq; non, quod videret, apud milites non paucos inuidiam gliscere ex æmulatione studiorum, quibus inter se contenderent; hoc etiam ipsum confirmauit, vt in hostilem regionem educere cogitaret exercitum, haud nescius, communibus periculis beneuolentiam inter socios conciliari, neq; interea ipsos inter se inuidere, vel elegantius armatis, vel ad gloriam contendentibus: quin potius tales collaudare & diligere sui similes, quod vnà secum in communis boni procuratione, communes quoq; labores subituros existiment. Sic igitur primum armauit & instruxit exercitum, quàm potuit elegantißimè & optimè: deinceps etiam arcessiuit primos duces & centuriones, & ordinum ductores, & primipilos. Hi enim extra numerum erant recensitarum copiarum. Tamen siue accipienda essent mandata à duce, siue aliquid denunciandum; neq; sic vsquam desiderabantur, qui præessent, sed octonis & senis præfecti relinquebantur. Cum autem conuenissent militiæ principes;

Cyrus

Cyrus ipsis, vt iussi erant, prætereuntibus ostendit, quæ benè se haberent, & docuit, quâ quique ordines sociorum firmi forent. Hisce autem incensis iam cupiditate rei gerendi; iussit ad suos quemque ordines reuerti, & docere suos milites, quæ à se accepissent, & operam ponere in accendendis ceteris ad militiam, vt quàm promptissimis animis omnes expeditionem suscipiant: mane deniq; præstò esse ad regiam Cyaxaris. Ipsi digressi mandata fecerunt: postridie autem prima luce, ad regiam præsto erant ijdem militiæ principes. Cum his ergo Cyrus ingressus ad Cyaxarem, ita cœpit dicere: Non me fugit, inquit, Cyaxares, de ijs, quæ dicturus sum, non minus tibi eadem iampridem videri, quàm nobis: sed verecundia fortè ea minus dicis: ne videaris expeditionis eò meminisse, quod molestum & graue tibi sit, nos alere. Ego igitur, te silente, pro te & pro nobis loquar. Nobis namq; omnibus videtur, quoniam instructi sumus: non, vbi hostes in regionem tuam irruperint, tum in præ-

lium descendendum, neq; in amica regione sedentibus commorandum, sed quàm celerrimè in hostilem progrediendum. Quàm diu enim in tua regione sumus, etiam inuiti multa perdimus: quod si nos in hostilem conuerterimus; voluptati nobis erit, vt hostibus damni plurimum inferamus. Præterea, cum tu nobis alendis magnum sumptum facias, tùm nos foras cum copiis expeditione susceptа, ex hostili regione commeatum habebimus. Præterea, si maius nobis ibi periculum immineret, quàm hic, forte sequendum esset, quod tutissimum foret: iam vero illi nobis pares erunt, siue hic eos exspectemus, siue in sua regione ipsis eamus obuiam: pares item nos ipsis in pugnam descendemus, siue eos hic excipiamus, siue in illorum regione cum iis manus conseramus. Verum nostros milites animis meliores & confirmatiores habebimus, si contra hostes progrediamur, nec inuiti eos videre videamur: illi vero nos multo magis metuent, vbi audierint, nos nullo ipsorum metu, nulla trepidatione

tione domi ſedere, ſed quando illos progredi intelligimus, nos ipſis occurrere, vt manus quàm celerrimè conſeramus, nec exſpectare, vt noſtra regio vexetur, ſed iam illorum agros populando præuertere. Quod ſi, inquit, illos aliquanto meticuloſiores reddiderimus, nos vero ipſos fortiores: noſtras res multo meliores ea cauſſa eſſe exiſtimo, & cenſeo nobis minus, hoſtibus plus imminere periculi, & quidem multo magis. Ac pater ſemper dicit, neq; non tu ais, atq; omnes aſſentiuntur: prælia potius animis, quàm viribus corporis dirimi.

In militia potiſſimum poſt conſilium, cuius loco eſt in milite obedientia: (hæc enim non eſt mater conſilij, ſed filia, vt tamen non deſtituatur conſilio) valent vigiliæ, labores, maturatio: ſed valent eadem & in omni negotio. Nuſquam enim non obſtant mora & procraſtinatio, ſomnus, ac deniq; ignauia. Siue enim in litterarum ſtudio verſeris, ſiue mercaturæ ſtudeas, ſiue remp. procures, ſiue quocunque te vertas, modo honeſtum genus vitæ delegeris; profecto neque ſtertendum eſt, neq; ſedendum, neque cunctandum, ſed noctes diesq; moleſtiæ exhauriendæ in tempore: accedit quartum, vt quemadmodum hoſti non cedit miles ſtrenuus, ita & nos, quæ obſtant, quotidie omni cura remoueamus. Plenæ ſunt ſimilibus ſententijs paginæ ſa-

pientum, quas coaceruare non est difficile, meminisse eruditum, sequi vero diuinum.

Hæc sunt officia in militia & militum & imperatoris. Sed aliæ præterea peculiares virtutes imperatoris: aliæ militum. Strategice multa comprehendit, quæ ex vniuerso imperio Cyri cognoscuntur, neque hoc loco referuntur: præter vnum, quod ipsum maximi momenti est: quod imperator duces suos ipse instruit, & docet, quæ ab ijs milites doceri velit. Fortem virum esse imperatorem oportet, & in eo elucere, quæ veræ sint fortitudinis. In militibus ea omnia non desideres, qui nihilominus fortes habentur, si qua in illis sit vmbra fortis animi, vt cum acriter prælientur, ne infamia notentur, & vt gloriam sibi quærant, vel si periti sint rei bellicæ, vel acri animo præditi, vel bona spe tumeant, vel per imperitiam nullum discrimen refugiant. Modò quidvis horum in milite sit, non exterminabitur è numero virorum fortium: neque quidquam obstat, quo minus præstantes milites sint, etiamsi prima illa fortitudine non sint præditi: satis est, eos minus esse fortes, neque necesse, magnis ornatos animi bonis, vt philosophus ait. Hæc tamen prorsus in ijs requiruntur: firmum & exercitatum corpus: animus quacunque gratia audax: peritia armorum, quibus vtendum sit: postremum est, veluti anima ceterorum, vt dicto audientes sint ducibus & imperatori.

De inuidia prius quoque paucis. Vitia nusquam ex vsu sunt, neque in rep., neq; in quacunque societate: neq; igitur inuidia: contra semper exitio. Exorta enim inuidia, animo maleuolentiæ virus concipiunt: subsequuntur odia: ex odijs sunt inimitiæ: ex inimicitijs seditiones, sublato prorsus otio publico. Quid gerent vna inuidi? Conari nihil vnâ volent: alter alterius conatus impedire & euertere, paratissimus est. Neque igitur serenda est inuidia,

& si

& si vltro pullulet, vt herbæ noxiæ, statim radicitus euellenda. Differt autem ab æmulatione. Æmulus enim non succenset alteri, nec eum bono, quod habet, cupit exui: quin sibi irascitur, qui sua negligentia vel infelicitate eiusdem boni aut similis hactenus compos non fiat: & acuit seipsum, ad idem adipiscendum. Honestum studium, & perquam laudabile: sed in animis minus ad virtutem confirmatis, cuiusmodi pleriq; sunt mortalium, facile degenerat in pestilentem illam inuidiam. Huic malo remedium inuenit imperator foris, domi politicus. Ille militibus, hic ciuibus amplissimum campum aperit, in quo se æmulatio exerceat perpetuo, vt in eum inuidiæ aditus minimè pateat. Nam in laboribus & periculis socios, eosq; fide & manu præstantes expetimus: quibus non inuidemus: neque illi inuident nobis, cum in eadem naui sint, in qua vel ad vnum omnes pereamus, vel in portum incolumes appellamus. An non Cyrus etiam inter arma exstirpator vitij, virtutis propagator? quanto hoc facilius est pace? fiet autem legibus, propositis præmijs & pœna: sed non minus, credo etiam magis: institutione potissimum, neque nihil doctrina. Illa enim principium, hæc fulcrum.

Sic inquit Cyrus: respondit Cyaxares: Atqui Cyre, vosq; ceteri Persæ, sumptum animo meo grauem esse, quo vos alo, ne quidem vos suspicari velim: tamen, vt in hostilem regionem progrediamini, nunc etiam mihi ad omnia magis ex vsu videtur. Siquidem igitur, inquit Cyrus, in eadem sententia

tentia sumus, conuasemus omnia: & si diuinis hoc indiciis comprobatur, sine mora progrediamur. Statim conuasare iussit Cyrus milites, & victimam cecidit, primum Ioui regi, deinceps & aliis diis, petens, vt clementes & benigni, duces sint exercitui, & boni præsides, & socij, et boni consilij auctores: obtestabatur & heroas, conditores & curatores Mediæ. Ritè vero sacris factis, cum præsto ipsi ad fines esset vniuersus exercitus, ibi secundis etiam auspiciis vsus, contendit in regionem hostium. Transitis porro finibus, & Tellurem placabat libationibus, & deos victimis, & heroas, Assyriæ conditores, beneuolos reddebat. His peractis, denuo Ioui patrio victimas cædebat, & si quem præterea Deum cognosceret, nullius ille cultum negligebat.

Pietas in Deos apparet: at cuiusmodi? miserè implicata impijs superstitionibus: nitens etiam opinionibus mortalium: neque discedens à moribus maiorum. Vt enim ab ijs acceperant, ita cultus diuinos peragebant: quin erat hoc in legibus & præceptis sapientum, vt auitam religionem mordicus retinerent, & colerent Deos, quos patria colendos legibus constituisset. Intelligebant enim, si quid in religione

ligione variaretur; id fieri cum euersione seu perturbatione ciuitatis. Falsa in illis religionibus esse pleraque non ignorabant viri præstantes: inprimis id sciebant saniores ex philosophis. Hi enim ad vnum omnium rerum parentem & custodem referebant omnia. In rep. nihil tentabant: qui enim? priuati cum essent. neque tamen non sycophantæ, ipsos commodius de dijs sententes, ad populum in inuidiam traduxerunt: vt in discrimen vitæ hoc quoq; nomine non pauci sæpe venerint. Sed quotusquisq; hodie Deum, etsi se ipse ex abdito luce suorum oraculorum ostendit, agnoscit, vt par est? quis agnito gratias agit?

Itaq; his omnibus ordine perfectis, statimq; non longa via promotis peditibus, castra metabantur: equis autem incursione facta, prædam sanè magnam variamq; comportarunt: iterum promotis castris, satis superq; commeatus nacti, pupulabundi, exspectabant hostes. Progressi autem cum iam non decem dierum itinere abesse dicerentur, ibi Cyrus inquit: Iam igitur, Cyaxares, tempus est occurrendi hostibus, vt neq; hostibus videamur, neq; nostris etiam, metu non progredi: sed vt de nobis constet, quàm non ingratiis præliemur. Idem cum fuisset visum Cyaxari, ita semper instructa acie

tantum itineris processerunt, quantum rectè fieri videretur: & quidem ad lumen cenabant, noctu multis focis incensis, idq; ante castra, vt ex igne viderent, si qui nocte accederent, ipsi ab accedentibus non viderentur: sæpe item à vertice castrorum exstruebant ignes ad decipiendos hostes. Itaq; aliquando exploratores in primas eorum excubias incidebant, quod à tergo essent ignes, cum ipsi se adhuc longè abesse à castris, putarent. Assyrij igitur eorumq; socij, quando vicina erant vtraq; castra, fossam sibi circumdederunt: id quod & hodie apud barbaros reges, cum castra metantur, in vsu est, vt ea fossis facile circundent propter operarum copiam. Norunt enim apparatum equestrem noctu facile turbari, & vix alicui vsui esse præsertim apud barbaros. Impeditos enim tenent equos ad præsepia: ac si quis aduersus eos tendat, negotij res est, noctu equos soluere, negotij frænos inijcere, negotij sellas imponere, negotij armare: sed vt conscensis equis per castra equitent, prorsus fieri non potest.

His

His igitur omnibus de cauſsis & alij barbari & hi caſtra muniunt: ſimul etiam ipſi arbitratur, cum ſint in munito loco; in ſua iam poteſtate eſſe, vt ſi velint, prælium non ineant. Cum autem ita propè acceſsiſſent, vt abeſſent non amplius paraſanga, ita fecerunt caſtra Aſſyrij, vti dictum eſt, in loco foſsis cincto, ſed aperto tamen: Cyrus autem, in quam poſſet abditiſsimo, vt vici & colles in fronte eſſent. Statuebat enim, omnia hoſtilia, ſi repente apparerent, magis eſſe terrori hoſtibus. Ceterum vterq; exercitus, eam noctem, vt par erat, conſtitutis extimis excubiis, ſomnum ceperunt. Poſtridie Aſſyrius & Crœſus ceteriq; duces reficiebant copias in munitis caſtris: ſed Cyrus & Cyaxares acie inſtructa exſpectabant, tanq; prælaturi, ſi hoſtes accederent. Poſtq; vero conſtitit, hoſtes è munitis caſtris non prodituros, neq; eo die commiſſuros prælium; Cyaxares, arceſsito Cyro & delectis militibus, dixit in hanc ſententiam: Videtur, inquit, mihi, viri, ita inſtructa acie nobis ad mu-

nita castra hostium accedendum, & ostendendum nos cupere pugnare. Ita enim, inquit, futurum est, siquidem illi non contra in aciem prodeant, vt & nostri illos audacius adoriantur, & hostes animaduersa nostrorum audacia magis extimescant. Ita Cyaxari visum fuit: sed Cyrus inquit, ne per deos Cyaxares ita faciamus. Etenim si iam nos ostendamus egressi, quà tu iubes, tum hostes nihil interea sibi metuentes, nos spectabunt, haud ignari, sibi tuto iam constitutis loco, nihil esse periculi, atq; vbi iam re infecta abierimus, iterum, cum videant nostras copias suis multo inferiores esse, nobis contemptis postridie prodibunt, multo animis confirmatiores. Iam vero, inquit, quando sciunt nos adesse, quos tamen non videant, minimè nos, quod scias, contemnunt, sed cogitant, quid hoc sit, & quod sat scio, sermonum de nobis finem nullum faciunt. Contra vero, ipsis egressis, tum oportet nos, & simul nos ijs ostendere, & eos rectà adoriri, oppressos quo iamdiu optabamus:

bamus loco. Hæc ita à Cyro dicta & Cyaxares & alij comprobarunt: atq; tum cenati, excubiis constitutis, & ante excubias incensis focis somnum ceperunt: postridie mane Cyrus coronatus sacrificabat: mandarat vero & ceteris homotimis, vt & ipsi adessent sacris. Ceterum peracto sacrificio ipsis conuocatis, dixit: Amici, dij, vt & vates aiunt, & mihi quoq; videtur, prælium denunciant, & victoriam largiuntur, & salutem pollicentur victimis: me vero vos monere, cuiusmodi vos hoc ipso tempore esse debeatis, pudeat. Scio namq; vos hæc perinde nosse atq; ego, ita in his exercitatos: eadem audiuisse & audire indies, quæ ego, vt ea alios rectè docere ipsimet possitis: quod si tamen quid minus aduertistis, audite quæso. Quos etenim socios recens nacti sumus, & nostri similes efficere conamur; iis nos in memoriam reducere debemus, quibus de caussis nos aluerit Cyaxares: quæ exercuerimus: ad quæ ipsos inuitauerimus: in quibus ipsi, se nos promptissimè æmulaturos receperint.

Mirum enim non est, monitoribus egere alios in iis, quæ serius didicerint: & æqui boniq; faciendum, si de consilio & cohortatione aliorum se viros præstent. Et vos, dum hoc agitis, vestri quoq; periculum facitis. Qui namq; eiusmodi in re etiam alios meliores reddere valeat; sibi iam perfectæ cuiusdam virtutis conscius esse videatur: qui autem hæc tantum ipse recordetur, neq; etiam alio respiciat; non sine causa imperfectum se esse sentiat. Propterea vero ego eos, inquit, non alloquor, sed vos dicere iubeo, vt & ipsi vobis placere studeant. Vos namq; ad eos proximè accedetis, ad suos videlicet quisq;. Sic vero, inquit, statuite: quoad vos ipsis animi præsentiam & magnitudinem probabitis, futurum est, vt tantisper, animo præsente & magno esse, non oratione, sed ipso facto doceatis.

Parasangam mensuram esse Persicam, notum est: continet XXX. stadia: quæ sunt IV. M. passus: siue miliare Germanicum minus. Nam quinq; millia passuum faciunt miliare Germanicum.

Cum

Cum ijs, quæ dicit ad homotimos Cyrus, consentit Hesiodus: qui ait, eum præstantissimum esse, qui per se intelligat omnia: secundum ab hoc, qui bene monenti pareat: qui autem neque ipse sapiat, neque alium audiat, extremæ notæ esse, & prorsus nihili hominem. Ad hanc libram, qui se examinet; videat facile, quanti ipse sit. Primi ordinis erunt perpauci. Nam & sapientissimi consilia non repudiant: immo vel ab inferiore se erudiri patiuntur: quando, vt est in prouerbio, πολλάκι καὶ κωφὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπε: sæpe etiam est olitor valde opportuna locutus. Eorum qui mente ipsi careant, neque alijs tamen dicto obedientes sint, maxima multitudo est, idq; ipsorum culpa, non naturæ veluti quadam inuidia. Sic enim ab hac sapientissima parente facti sumus, confirmante etiam optimo magistro, vt verum videre vtplurimum possimus: quod si ipsimet inuenire; hoc facilius, si velimus, accipere. Hi vocantur σωετοὶ, ac si dicas intelligentes, qui percipere possint, de quibus doceantur: illi φρόνιμοι, id est prudentes.

Λόγῳ καὶ ἔργῳ: potius re ipsa, quam verbis. Præclarè dictum, non præceptis, sed exemplis ad rectè viuendi rationem nos duci: non quod præcepta exterminanda sint aut parui facienda: cur enim sapientes ita sollicitè indagassent, ita religiosè monstrassent nobis viam honesti? sed, vt qui docet, idem ostendat: ne quod altera manu, vt dicitur, largiri videatur, altera auferat: quoniam his, quæ videmus, magis mouemur, quàm illis, quæ audimus: & quæ tenentur sensibus, vulgus arctius comprehendit, quàm quæ mente solum percipiuntur. Etiam iccirco factis opus est: quoniam præcepta non sunt solius scientiæ gratia. Consideramus enim ipsa, non vt sciamus, sed vt faciamus: οὐχ ἵνα γνῶμεν, ἀλλ' ἵνα πράξωμεν, vt docemur in ethicis. Prorsus ita

sus ita se habet in practicis, vt in poëticis. Itaque Polycletus, nobilissimus statuarius, non solum docuit de proportione, sed etiam suum canonem manu fabricatus fuit: qui & in prouerbium abijt.

Tandem abeuntes iussit coronatos prandere, & peractis libationibus coronatos itidem in aciem venire. Cum vero hi abiissent, vltimæ aciei milites arcessiuit, ad quos dixit in hanc sententiam. Vos etiam, Persæ, in homotimos relati fuistis, & deinceps delecti: qui cum præstantissimis pares esse, tum ætate prudentiores videamini: & sanè loco non minus honesto estis, quàm qui in prima acie sunt constituti. Vos enim in vltima, præstantium obseruatores & cohortatores, etiam meliores eos facitis: sin animo quis abiecto sit, hunc quoq; animaduersum, animum abijcere non sinitis. Non minus autem ex vestra, quàm ex re cuiusquam est, victoria potiri: tum ratione ætatis istius, tum ob armorum grauitatem. Quare, si etiam, qui ante vos sunt proximi, voce vos excitnat & cohortantur ad sequendum,

dicto

dicto ipsis audientes estote: & operam date, vt ne quidem in hac re ab iis superemini: quin eos vicissim cohortamini, vt in hostes contendant celerius. Atq; vos, inquit, abite, & pransi, coronati quoq;, vt ceteri, adeste in aciem. Hæc agebantur in Cyri copiis: verum Assyrij & ipsi pransi, audacter prodibant, & validè aciem instruebant: aciem autem rex ipse instruebat, curru præteruectus, militesq; ita cohortabatur: Nunc esse viros fortes oportet, Assyrij. Hoc enim certamen est de vita nostra, deq; terra, in qua nati estis, deq; ædibus, in quibus educati: de vxoribus etiam & liberis: deniq; de omnibus, quæ possedistis, bonis. Si namque victoria potiti fueritis; eorum domini eritis omnium, vt antè: sin illa excidetis: scitote, vos hæc omnia hostibus tradituros. Quare, qui vincere desideratis, manentes præliamini. Stultum enim est eos, qui superiores esse velint, fugæ deditos, corporis partes cæcas, non armis tectas, vbi manus non habeas, hostibus obuertere. Neq; vero

non & ille stultus, qui vitæ cupidus fugæ studeat: cum sciat victores seruari, & fugitiuos perire potius, quàm manentes. Deniq; etiam ille stultus, qui opum cupidus, vinci cupiat. Quem enim fugit, victores saluas retinere res suas, hostiumq; victorum bona insuper adipisci: victos contra & seipsos & bona sua amittere? Sic rem gerebat Assyrius: sed Cyaxares per certum hominem Cyro nunciabat: iam tempus esse adoriendi hostes. Si enim modo, inquit, adhuc pauci è munitis castris prodierunt; interea, dum & nos accedimus, multi erunt. Ne igitur cunctemur, dum plures nobis sint: sed eamus, dum adhuc facile à nobis posse superari credimus. Verum Cyrus respondit: Nisi Cyaxares, plus, quàm alteram partem copiarum fuderimus, ne dubita, quin dicturi sint, nos metu multitudinis cum paucis se fuisse adortos: tamen victos esse non statuent. Atqui tum redintegranda pugna foret, qua forsan rectius capient consilium, quàm nunc ceperint, quando se nobis offe-

runt,

runt, vt nostro arbitrio, cum quantis nobis libeat, copiis pugnemus. His igitur auditis abierunt nuncij. Interea aduenit Chrysantas Persa, & ex homotimis alij nonnulli, adducentes perfugas. Tum Cyrus, vt fit, de rebus hostium ex perfugis sciscitabatur: atq; hi, iam cum armis egressos, aiebant, & ab ipso rege in aciem constitui: regem etiam semper multa vehementiq; oratione milites, qui egrederentur, cohortari: vt affirmabant dicere, qui audiissent. Ibi Chrysantas: quid, inquit, Cyre, si & tu milites, dum licet, conuoces, si & tu eos præstantiores facias? Tum, inquit Cyrus: ne, Chrysanta, tibi molestæ sint Assyriorum cohortationes. Nulla enim erit vsq; adeo bella cohortatio, quæ hoc ipso die bonos reddat auditores, qui non sint boni: aut sagittarios, qui eam artem non exercuerint: aut iaculatores: aut equites etiam: aut laborum patientes, quorum corpora non sunt exercita. Tum Chrysantas: at satis, erit, Cyre, si eorum animos cohortationibus meliores reddas. An vero

etiam possit, inquit Cyrus, una oratio hac ipsa luce pudore animos imbuere, aut auertere à turpibus, incitare vero, ita vt oportet, ad omnem laborem, & ad omne discrimen laudis gratia subeundum, vt mentibus infixum teneant, satius esse, praliantes potius mori, quàm seruari fugientes? Nonne, inquit, si eiusmodi cogitationes hominibus inscribi debebunt, quæ in iis perpetuo hæreant, primum leges esse tales oportet, quibus honorata & liberalis vita bonis comparetur, malis contrà humilis, dolenda, & detestabilis incumbat? præterea etiam, ni fallor, magistris & magistratibus in hac re opus erit, qui ostendant rectè, & doceant, & assuefaciant ad ea facienda, donec in iis radices agat hæc sententia, qua bonos & virtute claros, reuera beatissimos iudicent, malos contrà & infames, miserrimos omnium statuant. Sic enim oportet animo esse affectos, qui probaturi sint, disciplinam suam hostili metu minimè percelli. Quod si quis vero, iam armatos ineuntes prælium (quo tempore mul-

re multis etiam prisca præcepta excidunt) possit extemporanea quadam dicendi facultate repente viros bellicosos efficere; facillimè omnium & disci & doceri possit virtus inter homines omnium maxima. Quin & de horum, inquit, quos etiam apud nos exercuimus aliquamdiu, constantia, nihil quidq̃ mihi persuaderem, nisi vos præsto esse cernerem, qui & exemplo ipsis futuri sitis, cuiusmodi ipsos esse oporteat, & eosdem moneatis, si quid non meminerint. Qui autem ad virtutem prorsus educati non sunt, inquit, Chrysanta, mirer equidem, si plus iis oratio præclarè dicta conferat ad fortitudinem, quàm rudibus musicæ ad musicen, si quis carmen iis egregiè præcinat.

De vragis, aliàs nonnihil diximus: vnde intelligitur, eos milites, siue accensos Latinis olim dictos siue optiones, fuisse, qui ea conditione postremam aciem clauderent, vt si hostes vel à tergo irruerent, ipsi conuersi aciem iam à fronte ducerent: quod non est, nisi veteranorum & præstantium rei militaris scientia. Sunt & aliæ eorum partes, vt antecedentes vrgeant, neq; patiantur ignauiores terga dare. Qui non vera fortitudine, neque ambitione, neq; pudore continentur in pugna, sed necessitate; eos quoque re-

ferunt in numerum eorum, qui secunda fortitudine præditi sunt, cupidi scilicet honoris, & gloriæ, & metuentes ignominiæ. Sed his sunt deteriores multo & inferiores, quando, quod illi pudore, hi metu coacti faciunt: neque propterea quod turpitudinem, sed quod dolorem fugiant: vt res indicat, & philosophus loquitur. Cogunt autem eos κύριοι, nempe imperatores, quorum in potestate sunt. Ita suis militibus minatur Agamemnon:

Ον δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης ἐθέλοντα νοήσω
Μιμνάζειν παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν, οὔ οἱ ἔπειτα
Ἀρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας, ἠδ' οἰωνούς.

Ad pictas si quem cunctari aduertero naues
Extra aciem: non ipse euaserit omne periculum,
Sed pascet rabidósue canes cœlíue volucres.

Sic & affatur Troianos Hector. Λ. Ο.

Ον δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε νεῶν ἐτάρωθι νοήσω
Αὐτοῦ οἱ θάνατον μητίσομαι, οὐδέ νυ τόν γε
Γνωτοί τε γνωταί τε πυρὸς λελάχωσι θανόντα,
Ἀλλὰ λυκοὶ ἐρύουσι πρὸ ἄστεος ἠμετέροιο.

Quem, inquit, non præliantem ad castra, sed errantem alibi deprehendero; illum eo ipso in loco necandum curabo: neque in rogum coniectum cadauer consanguinei cremabunt, sed canes miserè dilaniabunt ante oppidum. Sic igitur hosce vel ipsi duces exercitus tractant, vel tractari iubent, prorsus vt digni sunt: quod munus etiam ad vrgos pertinere Cyrus voluit. Sæpe etiam pugnandi necessitatem imponit locus castrorum, quem fortuna copijs dedisset: neq; non talis ad pugnandum aliquando delectus fuit: quod fecere Lacedæmonij, prælium commissuri cum Messenijs. Namq; ita castra studio posuerant, vt à fronte hostem cernerent, à tergo fossa intercluderentur, ne fugæ locus vspiam vlli esset.

Per-

Perſtringam hoc breuibus, quod vberrimè explicari poſſet: apud quos παραιτλεύσεις, ſiue cohortationes locum habeant: item, ex quo alterum liquebit, de ratione adipiſcendæ virtutis. Loquimur autem de ea, quæ in moribus poſita eſt, & in vita, communibusq; vitæ officijs cernitur. Nam alterum genus virtutum, quæ dicuntur διανοητικαὶ, ſolius mentis, cogitando ſiue ratione potiſſimum ortum & incrementum habet. Itaque & vſurpationem & temporis ſpacium requirunt. Quid iam virtutes, quæ ſic vulgo appellantur? A moribus ipſæ nomen habent, & moribus ſiue conſuetudine diuturna comparantur: non natura attribuuntur, neq; diſcuntur litteris. Si enim natura id efficeret; primùm nullis ad hanc rem opus foret litteris, quod naſcerentur boni & omni virtute cumulati: ſi ſolis litteris; quæ quis percipiſſet animo, rectaq; eſſe intelligeret, repente præſtaret omnia: relinquitur ergo, adſuefactione & ſtudio quærendam eſſe virtutem: niſi quis contendat, virgula, vt aiunt, diuina bonos fieri. Primùm, à Deo virtus eſt, ſi quidquam ex bonis, cum hoc ex primis ſit: quid enim non ex ipſa bonitate, ſeu bonorum æterna ſcaturigine? ſed quo modo & cetera: vt, ſcilicet & velimus ea, & iccirco vigilemus, & in ijs laboremus: de virtute vero, cum idem ſentiendum eſt, tum anteponenda alijs eſt, longo etiam interuallo. Naturæ ſatis ad eam, quæ eius capax ſit: etſi eadem alijs quaſi cœleſtior contigit, horridior alijs: ſic tamen, vt prauam corrigere, præſtantem poſſis perficere. Doctrina deniq;, & ratio explicata litteris non aget nihil: non quod oratio valeat ſubito quempiam aut temperantem aut fortem facere: ſed educatum in ijs principijs ducere, fulcire, abſoluere poteſt. Neminem fugit, quæ ſit eorum, qui habitus vocantur, conditio: eadem hic valet: virtutes etiam habitus ſunt. Eſt igitur virtus minimè in procliui, ſed

perq̃

perq̃; difficilis: neq; quis alium animo virtute inflammato seu sapientia imbuerit. Procreare, inquit Theognis, itemq; alere hominem facilius est, quàm bonam cui mentem inserere: neq; artem inuenit hactenus quispiam, qua ex fatuo sapientem, ex malo bonum faciat. Quod si tantum boni in Aesculapij filios contulisset Iupiter, vt hominum malitiæ & peruersis mentibus medicinam facere possent; plurimam acciperent equidem mercedem & amplissimam. Quin si fingi & cuiquam mens possit inseri; numquam ex bono patre nasceretur improbus filius, sed hic audiret statim præcepta modestiæ. Verum docendo numquam ex malo viro bonum facies: ἀλλὰ διδάσκων οὔποτε ποιήσεις τὸν κακὸν ἄνδρ' ἀγαθόν. Sed hæc multo plenius & elegantius apud poëtam, quàm interpretari ego potuerim. Nec non apud Euripidem Theseus queritur, cum sexcentas artes inuenerint, & nihil non homines excogitare posse videantur, vnum tamen minimè nosse, neque venari potuisse: quo pacto eos sapere docerent, qui mente non essent præditi.

ὦ πόλλ', inquit, ἁμαρτάνουσθ' ἄνθρωποι μάτην,
τί δὴ τέχνας μὲν μυρίας διδάσκετε,
καὶ πάντα μηχανᾶσθαι, κἀξευρίσκετε;
ἓν δ' οὐκ ἐδιδάξασθ', οὐδ' ἐθηράσασθέ πω,
φρονεῖν διδάσκειν, οἷσιν οὐκ ἔνεστι νοῦς;

Hinc igitur constat, apud eos verbis nihil profici, quibus principium vitæ defit: hoc est, qui nulla adsuefactione ad modestiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam, reliquas virtutes, educati sint. Qui sint ad hasce sic educati apud eos valet cohortatio: neque non ipsa locum habet in virtute præditis. Vt enim reliqua vita continetur mutuis officijs, vnde Theophrastus dixit, vitam esse communicationem beneficiorum: ita ad vsum virtutis & ad præclaras res ge-

ves gerendas communicatio consiliorum, & ἀντιπαρακλεύσεις, ac si dicam commonefactiones mutuas, vim magnam habere, prorsusq; nobis inter nos necessarias esse existimandæ sunt.

Hæc illi inter se: verum Cyaxares per alios nunciabat: non leuiter peccare Cyrum, qui cunctaretur, nec quàm celerrimè copias in hostes educeret. Tum vero Cyrus respondit nunciis: sed sciat, inquit, nondum esse tot egressos è castris, quot oporteat: idq; ei renunciate in conspectu omnium: quia tamen sic ipsi videtur, educam & ipse modo. His dictis, & votis ad Deos factis, eduxit copias. Vbi vero cœpit ducere; etiam celerius & ipse præibat, & illi sequebantur: ordine, quod nossent ordinè procedere, & in hoc se exercuissent: omni contentione, quod & æmulatione inter se concertarent, & corpora laboribus haberent confirmata, et quod primarij essent, quotquot ijs præessent: summa deniq; voluntate, quod prudentia essent præditi. Nouerant enim edocti longo tempore, tutissimum & facillimum esse cominus

cum hostibus congredi, præsertim, qui sagittarij, aut iaculatores, aut equites essent. Cum vero adhuc longiusculè aberant, intra teli iactum, promulgabat Cyrus tesseram: SOCIVS ET DVX IVPITER. Quæ cum denuo reddita fuisset, cœpit Dioscuris pæana solitum: ac milites vnà omnes magna voce religiosè acclamarunt. Sic enim qui Deos metuunt, minus homines metuunt. Post pæana, simul procedentes alacres homotimi, sic eruditi, oculos in se mutuo conijciebant, proximosq; socios, magistros salutabant: frequenter hac cohortatione iterata: agite amici, agite viri fortes: itaq; mutuo se instigabant ad sequendum. Qui à tergo erant, instigabant contrà antecedentes, vt animosè ipsi ducerent. Ita in vniuersis Cyri copiis vndiq; cernere erat, cupiditatem dimicandi, desiderium gloriæ, virtutis audaciam, incitationis studium, modestiam, obedientiam: quod grauissimum fuisse hostibus existimo. Ceterum ex Assyriis, qui tutiore loco primi manus conserebant, quando iam

proxi-

proximè erant Persarum copiæ, conscensis curribus, ad suas copias se recipiebant: cum eorum sagittarij, iaculatores, & funditores tela multo antè emisissent, quàm hostes possent contingere. Quando igitur adeuntes Persæ calcabant etiam emissa tela; ibi inquit Cyrus: Iam, viri optimi, sine mora quis ostendat ipse se, & cohortetur alterum. Eam igitur vocem illi reddere: præ cupiditate: præterea, & viribus, & festinatione progrediendi, currere nonnulli: consequi vero & vniuersa phalanx cursu: ipse etiam Cyrus oblitus itineris pedetentim suscepti, cursu præire, simulq; hanc vocem tollere: Ecquis consequitur? ecquis fortis? ecquis primus hostem sternet? Hanc qui audiebant, eandem edebant vocem milites: ac per vniuersum exercitum, vt ille verbis præibat, ita sequebantur alij: ecquis sequetur? ecquis fortis? Ita igitur se gerebant Persæ, vnoq; ferebantur impetu: hostes autem consistere nequibant, sed conuersi fuga se in tutum locum recipiebant. At Persæ insequentes ad

aditum, cum hostes premerentur, multos fuderunt: insilientes in fossas præcipitantibus, occidebant et equites vnà & equos. Aliqui enim ex curribus, qui fugerent, compulsi fuêre in fossas: quod cum Medorum equites cernerent, tendebant ad equos hostium, qui & illorum impetum declinarunt. Exinde igitur fuga erat & equorum & hominum, & cædes vtrinq;. Qui vero in Assyriorum propugnaculo in fossæ margine stabant, sagittas & iacula in hostes, à quibus conficiebantur, conijcere neq; cogitabant, neq; poterant, tum ob tam dira spectacula, tum ob metum. Vt vero etiam acceperant, ex Persis aliquos perrupisse in aditum propugnaculi; statim terga dabant, cedentes de marginibus. Tandem mulieres Assyriorum & sociorum fuga iam perspecta etiam in ipso exercitu, clamorem ipsæ sustulerunt, & conterritæ discurrerunt, aliquæ earum tenentes liberos, sed adolescentiores conscissis vestibus & laniatis genis, supplices omnibus, quibus occurrerent: ne fugerent, neue se desererent,

sed

ſed vindicarent liberos, ipſas, & ſe deniq;. Ibi igitur ipſi quoq; reges cum fideliſſimis, ſtantes in aditu, & marginibus conſcenſis, & ipſi dimicabant, et alios ad dimicandum cohortabantur. Ceterum Cyrus, vbi animaduertit, quæ gererentur, veritus, ne ſi vi irrumperet, ipſi pauculi à multis cladem aliquam acciperent, ſuos pedem referre iuſſit, ad iactum teli, & omnino parère. Ibi igitur quis perſpexiſſet & homotimos rectiſſimè eruditos. Subitò namq; tum ipſi parebant, tum aliis denunciabant. Regreſſi autem extra tela hoſtium, in loco conſtiterunt, maiore ordine, quàm in choro, quod vbi quemq; eſſe oporteret, præcisè nouerant.

πειθὼ καὶ εὐταξία: *obedientia & ordo: ita hæc valido nexu cohærent, vt vigeant ſimul aut pereant. Vbi enim obedientia, ibi ordo vtplurimum: vbi ordo, ibi omnino obedientia: nec qui negligunt ordinem, obediunt: nec qui obediunt, ordinem negligunt. Prædicantur igitur non iniuria Perſæ, quibus ſumma religione imperatori obtemperare, neque minus ipſis ducibus, etſi illi pares eſſe, & forſan aliquando ſuperiores viderentur, quàm militibus alijs, ſtudio fuerit: curæ item, vt ordine conſeruato, quo educti, quemúe edocti fuerant, regrederentur, quaſi non in*

summo periculo, sed à chorago feriis publicis ducerentur. Sed de obedientia sæpe aliàs: ordinem noster Xenophon in œconomicis, miris effert laudibus, vt nihil eo neque pulcrius, neque vtilius esse affirmet. Hunc igitur & in barbaris sæpe desideres: quod & passim poëta indicat: qui & Troianorum confusam rationem, cum clangore gruum, quibuscum Pygmæi bellum gerunt, comparat. Est enim turbæ proprium clamor. Sed contrà Græci ἰσῃ σιγῇ, alto silentio, optimo ordine in aciem tendebant.

IOANNIS CASELII

In explicationem Xenophontis primi Cyri pædiæ, ad auditores procœmium, quo ostenditur, quibus litteris regum filios erudiri oporteat.

IN tanta luce litterarum, tam pauca intelligi, & miror sæpe, & magnopere doleo. Nónne enim monstri simile est, cum exstent tot monumenta veterum, sapientissimorum hominum, cumq; tot passim doctissimi viri & lingua & calamo etiam explicent, quamplurima communi vitæ vtilia; ea quoque siue ignorari turpiter, siue improbè negligi, quæ

quæ principia beatæ inter mortales vitæ non iniuria existimantur: Quis vero etiam, nisi hominum societatis osor, & sui denique generis acer inimicus, hoc nomine non grauiter afficiatur? Non disputabo nunc, vnde hæc sit tanta vel infelicitas, vel peruersitas: hoc accuratè sæpe mecum cogitaui, posséne malis huiusmodi medicinæ aliquid fieri: & in hanc opinionem denique descendi, non omnia apud omnes omni tempore desperata esse: sed aliquando apud paucos esse consilio locum. Itaque non solum laudaui eos, qui quacunque in re ad vitam rectè colendam pertinente, aliquid in medium consulerent: sed ipse quoque semper conatus sui, & re & verbis, aliquid opis adferre societati hominum: postquam quæ eò facerent longo tempore, ab optimis auctoribus, summa diligentia didicissem: à quo studio, digno quiuis homine, veterumq; pietatem erga homines æmulante, quoad mihi & vita & valetudo suppeditabunt, non deficiam. Cum autem sint multæ, modo de vno, modo de alio, agendum est: inprimis, quæ meæ scientiæ siue disciplinæ sunt, mihi oscitanter tractanda numquam existimaui: de alijs, quæ non satis ipse percepero, non arroganter censuram feram, ne in leuissimum curiositatis & alterum huic affini ἀλαζονείας crimen incurram. Agam autem nunc vobiscum de re maximi momenti: siquidem in educatione & studijs principum & omnium, quibus in animo est capessere rempublicam, salus vertitur omni tempore vniuersæ ciuitatis & omnium ciuium, vt nemo sit ex omnibus reliquus, ad quem non permânet aliqua inde felicitas, vel boni particula. Est autem hæc ex quæstionibus politicis vna, in qua video hodie longissimè aberrari: vt, qui eam explicet probè & in veram sententiam, quæ sola bona est & perpetuò vtilis, perducat, tum reges, qui de liberorum suorum educatione deliberant, tum

regiorum

regiorum filiorum magistros, tum quotquot ad aliquam partem ciuilis administrationis adspirant; is profectò non tenui beneficio, non ipsos solum, quos dixi, sed & regna, populos, & ciuitates, diuinitus affecerit. Sed intelligentis est & diserti, veram sententiam explicare: persuadere alijs, in fortuna magis esse situm, quàm in ratione, pæne dixerim. Agam verò hoc locò paucis: pleniora ex me quotidie audietis. Primum missos faciam, cum quibus tanquam mente captis frustra omnis instituatur disputatio: qui autumant, esse delicatè educandos regum filios, neque coërcendos graui disciplina ad modestiam, nedum imbuendos bonis litteris. Rectius omnino est hos plagis, quàm rationibus conuinci, prout Thersitem Vlysses scipione castigabat. Iam, qui aliquid sanæ mentis habent, etiamsi parum videant, quo pacto id rectè fieri oporteat: tamen in hoc consentiunt, educandos esse regum filios ad imperium: siue quia ita fieri plerumque vident, siue quia hoc rationi est consentaneum. Exemplis enim homines mouentur plurimum: neque quisquam est, quin, cum videat, in vnaquaque arte, quamuis viliſsima, requiri institutionem, hoc, quod omnium munerum humanorum in rebus gerendis citra controuersiam summum est, nequaquam temerè posse ab aliquo administrari, qui in nullam imperij partem eruditus sit, existimet. Neque vero hoc dabimus, reuera eum esse principem ciuitatis, qui rempub. alienis tantum consilijs moderetur: vt nemo, aut alienus oculis rectè videre creditur, aut nauclerus esse, qui artis ignarus, aut somno aut sese aleæ dederit, in media tempestate cuicunque ipsi videatur, tradito gubernaculo. Qui porro siue ingenio, siue doctrina, siue rerum vsu plurimum intelligunt, sentiunt etiam hoc, de quo instituta est oratio, litteris insuper eum erudiri oportere: videturq; hoc perpaucos iam fugere,

fugere, quod diuinitus scriptum reliquit Plato, diuinitus interpretatus est Tullius: tum denique fore beatas respublicas, si aut docti & sapientes homines eas regere cæpissent, aut qui regerent omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent. Ego vero affirmarim, vix esse quemquam principum in Germania & in finitimis regnis, quin sit in hac vera & laudabili sententia: quod equidem patriæ, & imperio, & vniuerso orbi Christiano gratulor. Rectè namque sentire, aliquis est ad felicitatem gradus: si modo quod sentire te existimes; satis intelligas: neque saltem dictum ipsum in ore habeas, vim autem eiusdem penitus ignores, aut non satis percipias. Ego cum olim puer hanc auream Platonis vocem primum haußissem meis auribus, vnionem me reperisse arbitratus (neq; sanè falsus eram) exsiliebam gaudio: neque tamen quanti ille precij esset, quid denique valeret, sciebam. Principes enim, & qui aliquam partem tenerent in republica, si tantum primoribus labris attigissent bonas litteras, aut Latinè intelligerent; subitò credidi sapientes illos esse, quos princeps ille philosophorum suæ reipublicæ, quam beatißimam esse vellet, sine dubitatione præficeret: & vix tandem didici, aliud esse nucem, aliud ipsum nucleum. In hac puerili opinione tam multos hodie esse ex summis quoque principibus: immò & ex ijs, quod tamen vix credibile videretur, nisi res hoc loqueretur ipsa, qui potißimum nomine doctrinæ celebrantur: hoc est, quod & mirer admodum, & multò magis doleam: neque poßum facere, quin hunc tam grauem & tam pestilentem hominum consuetudini errorem detegam: si qui fortasse mea opera redeant in viam. Primùm enim Latinus sermo discendus est principi, tum propter communicationem negotiorum, quæ inter se gerunt plurima & maxima principes Chri-

 stiani,

ſtiani, tum vt eo cognito ad ipſas etiam bonas literas, quæ ſunt ſtudia ſapientiæ, accedat. Non enim putandum eſt, principem, qui Latinè ſciat, quod ipſum tamen per ſe & neceſſarium eſt & laudabile, doctrina præditum eſſe ſingulari, aut perdidiciſſe iam officium regis aut hominis politici. Neque hoc non & alijs in mentem venit, qui cum Latina lingua principes ad ius ciuile ducendos exiſtimant, & ſic adminiſtraturos benè rempublicam: quo pacto inſtituitur prætor, vel potius aduocatus cauſſarum, qui ſunt principis miniſtri, ipſoq; longè inferiores, neque tamen non neceſſarij maximeq; vtiles in republica. Neque tamen ego, principem legum ignarum eſſe velim, quarum ille ſit & conditor aliquando, & perpetuò cuſtos: ſed diſputationum ciuilium exquiſitam ſcientiam in eo minimè requiro. Non ſolum præſidet foro princeps, ſed multò magis curiæ: non ſolus diſceptat priuatas lites, ſed communia tractat negotia ciuitatis: denique & belli & pacis artibus principem egregiè inſtructum eſſe oportet, atque in his etiam leges eſſe non inſitiabimur: neque tamen, qui leges teneat, eum pacis artes neceſſarias omnes tenere arbitrabimur. Quare qui huius iudicij ſunt, neque nihil ſentiunt, neque omnia: quemadmodum & alij, qui principem puerum religioſo conſilio non ſolum capita pietatis Chriſtianæ docent, ſed in theologicis diſceptationibus in perpetuum tenent: neq; quidquam alicunde addunt de officio principis, ipſumq; ad alias litteras nullas admittunt. Numinis autem eſſe cultorem & ſanctæ vitæ principem volumus: vt omnes cognoſcat diſputationes illas, neque neceſſe eſſe putamus, & fieri non poſſe affirmamus. Profectò enim vt exquiſita Latinæ linguæ ratio ad grammaticum, vt cauſſæ forenſes ad iuriſconſultum, ita quæ in Eccleſia mouentur de religione, ad collegia ſacerdotum referenda ſunt: niſi miſceri

malumus

malumus vitam communem, quàm omnia rectè & ordinè fieri. Quæ igitur sunt litteræ, quibus animum adolescentis principis præcipuè informari oporteat? Primum eas, quæ theoreticæ vocantur, quæque in sese vertuntur, & mentem hominis scientia rerum abditarum prorsusq; diuinarum perficiunt, regibus non indignas esse censemus: sed de his, quia ad singulos, non ad societatem mortalium pertinent, quæstio non est. Ceteræ igitur sunt, quæ practicæ nuncupantur, atque vitam hominum cum priuatim tum publicè instituunt & gubernant: non solum autem doctrinæ ipsæ, sed quæ ex ijs promanant, & ad eundem finem referuntur. Finis autem est communis bonæ cuiusque politiæ, siue status sit popularis, siue optimatum, siue regnum, salus omnium ciuium: quod ita verissimum est, vt si eiusdem finis in vitiosis politijs non aliqua etiam ratio habeatur, non solum miseram & calamitosam vitam ibi plerosq; agere necesse sit, sed etiam ipsos status prauos, siue tyrannis sit, siue paucorum dominatus, siue turba plebis, concuti quotidie & interire, & varias capere viciſsitudines. Quibus igitur erudimur de auertenda calamitate, de comparandis & conseruandis bonis, tum exterioribus, tum corporis, tum animi; hæ regiæ sunt litteræ, hisce erudiendi sunt, & regum filij, & futuri siue totius reipublicæ, siue aliquarum eius partium moderatores. Hæ vero sunt doctrinæ de moribus, de re familiari, de ciuitate, à multis doctiſsimis & sapientiſsimis hominibus, litterarum monumentis explicatæ: addo & poëtas & historias omnium temporum atque gentium. De priore genere, hoc est de scriptis philosophorum non disseram hoc loco, quæ quibus anteponam: hoc asseuero, ea esse principibus ab vltima ipsorum adolescentia sic explicanda, vt simul tales effingantur ipsorum animi atque mores, cuiusmodi ibi esse iubentur: (Memini-

niſse enim in perpetuum et firmiter ſtatuere oportet quemque harum diſciplinarum non oſcitantem cultorem: non hæc perdiſci, vt ſciamus, ſed vt agamus, neque finem eſſe cognitionem, ſed actionem) vt ſic ea ament, vt nullos theſauros priores habeant, vt progredi ſemper in diſcendo velint: (Qui namque finem aliquem diſcendi conſtituunt, de ijs iam deſperauimus. Si enim qui amare nummum deſinit, amplius augere patrimonium non velle creditur: qui is euadet ſapientior, quem ſatietas capit ſapientiæ? cuius ſatietas nulla, vt neque virtutis conſtituitur, ſicut ceterarum rerum omnium:) vt ſic didicerint, vt didiciſſe quidem ſeſe egregiè credant, ſed non perdidiciſſe certo ſibi perſuadeant, ſi quidem, vt in vita, quæ non ante ſis expertus, quotidie noua accidunt plurima, ſic in lectione monumentorum veterum, etiam quæ ſæpe legeris, neque intellexeris, ſeſe oſtendunt non pauciora: taceo, quod quorum vſus ſit perpetuus, eorundem conſiderationem eſſe perpetuam rectum eſt. Hæc autem excitatur lectione etiam, non ſolum negotiorum tractatione, facitq; vt quæ fortè geras ſiniſtrè, ſi aut extemporaneo conſilio vtaris, vt ſæpe fit, aut obſequaris animo tuo, non ſemper æquiſſimè affecto; perficias dexterrimè & feliciſſimè, cœleſti rationis imperio parens. Iam ſpero me ſatis aperuiſſe, quibus litterarum ſtudijs incumbere filios regum: immò in quibus litteris ipſos reges eſſe, neque diu ſeponere eas oporteat. Idem vero etiam hoc pacto cognouerimus, ſi conſtet, quid ex Chirone principes Græciæ didicerint, quid ex Phœnice Achilles, ex Lyſide Epaminondas, ex Platone Dion, ex Ariſtotele Alexander, ex Perſæo Antigonus, ex Anaxagora Pericles, ex Polybio Scipio: quibus artibus Athenienſes ſuos ciues, quibus Romani ſuos erudiri iuſſerint, adituros ad rempublicam. In promptu mihi quidem eſt

hæc

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863617026/phys_0108

hæc explicare: sed longum foret, neque vnius alteriusue paginæ: neque tamen non mei muneris esse intelligo, vt hoc quoque vobiscum sedulò communicem. Ego verò id faciam in scholis nostris, modo sint, qui his studijs planè regijs se dignos esse existiment. Quin enim ipsa vobis digna sint, dubium non est. Vt autem faciam commodius, explicandum suscipiam Xenophontis Cyri pædiæ librum primum, quem proximè, vt iussus eram, principi Henrico Iulio, illustriss. principis Iulij, ducis Brunsuig. filio, adolescenti heroicæ spei & maximi profectus, in Latinam linguam conuerti. Dux namque Iulius cum dignitatem et vsum doctrinæ intelligat, & suis ciuibus munificè nouam academiam condit, & suos filios accuratissimè ad imperium bonis litteris erudiri iubet. Facio autem mentionem meæ interpretationis, vt si qui velint, ea vtantur: in qua quantum potui secutus sum perspicuitatem & facilitatem, accommodatam vtramque, tum Græco scriptori, tum ætati teneræ. Neque tamen antefero meam, interpretationi cuiusuis alterius, sed palmam alijs facilè concedo: ac facio cuique vestrum potestatem vtendi, qua velit: qui Græcè sciunt, ipsum Xenophontem in manibus habeant. Non enim instituemus grammaticam interpretationem: sed omnes ingenij neruos adhibebimus, vt res ipsas vobis explicem, quæ sunt in hoc nobili libro, quem tanti fecit P. Scipio, vt eum de manibus numquam deponeret: quo M. Tullius iusti imperij effigiem adumbratam vel potius expressam esse asseuerat. Sed de hoc ipso libro & de Xenophonte cognoscetis plura coram: quando & consilij mei rationem vobis aperiam, cur potissimum Cyri pædian mihi interpretandam sumpserim. Caussarum autem vna hæc fuit, vt nobilissimo principi Gulielmo, qui quartum iam annum in hac academia bonas litteras discit, gratificarer.

Capit enim & ipse res ipsas propius aspicere & amplissimas doctrinas cognoscere: in quo quidem, princeps Gulielme, perseuera constanter, vt te dignum est, & effice vt studia adolescentiæ tuæ studijs pueritiæ, & omnis insequens ætas principijs superioribus omni tua vita respondeat.

Vos etiam, adolescentes nobiles, omnesq; nobilium disciplinarum alumni, vosq; inprimis, qui accedere aliquando ad rempub. constituistis, neq; vos minus, qui principum, præstantiumq; virorum filios eruditis, aut aliquando eruditis, hasce doctrinas vobis quoque audiendas esse statuite, si aut re ipsa politici esse, vel politicæ studiosos probè erudire auetis: et desinite queri de raritate prælectionum ac docentium negligentia. Nihil namq; vsitatius est hodie querelis adolescentium fortunatorum, tum apud nos, tum in alijs gymnasijs Germaniæ: non esse quos audiant: doceri raro. Queruntur autem potissimum, qui politicis studijs se addixerunt. Primum, qui ius ciuile docent apud nos, iniuriæ sibi fieri nonnihil existimant, cum plerumque aliqui doceant, et ego idem censeo, querendi non satis causse esse, etiam ijs, qui ignauo otio, somno & conuiuijs missis, rem seriam agant. Vt enim non perpetuò doceatur publicè, priuatim discendi occasio patet omnibus, in re non obscura præsertim, cui laboris plus, quàm acuminis impendendum sit, siue quis ipsas leges, earumq; interpretes velit euoluere, siue disputando se exercens profectus suos vel explorare vel augere: neque deerunt ipsis iurisconsulti nostri, si quid enucleatius explicandum sit. Sed error quoque alius est non leuis, in quo plerique versamini, dum falsò existimatis, nullum esse politicum studium, præter hoc legum ciuilium: ijs scilicet, qui quæstum tantum sectantur, & ad opes parandas se repente conuertunt, sed non his, qui vtilitatem publicam & veram dignitatem quærunt. Sunt enim mul-

tæ &

ta & variæ doctrinæ principi, et cuiq; principis consiliario, & omnibus reipub. moderatoribus necessariæ, de quibus paullulum superius diximus: illæ non solùm dignæ quoque vestrum, sed vobis itidem necessariæ. Hæ cum perpetuò hic à doctissimis viris summa diligentia explicentur, nulla vobis potest deesse discendi commoditas: & relinquitur, non academiam vobis, sed vosmetipsos defuisse, si non hoc agetis, qua gratia huc profecti estis, & hic non leuibus impensis viuitis: quin si quis nihil faciat sumtuum, aut pecuniam non tanti æstimet; ei temporis impenditur plurimum, cuius iacturam esse grauissimam vtinam æquè adolescentia intelligat, ac quibus elapsa est, queruntur frustra. Vos & pecuniam & annos benè collocate, & hoc doctrinarum ampliſsimarum genus ne aspernamini. Nihil omnium quæ à me in vos, si hunc cursum instituerit, proficisci poterunt, in me patiar desiderari. Valete.

Rostochij XII. KL. Nouemb. Anno
M. D. LXXIIX.

IOANNIS CASELII

Trium de studijs principum media oratio. Habuit autem eas tribus scholis: sed hanc tantum perscribendam censuit.

QVod vltimum proximè dicere instituera̅; id, quoniam tum tempore excluſi fuimus, modo persequemur. Est autem hoc, ni fallor, potiſsimum, cuius cognoscendi desiderio flagratis. Egóne vero fidem & diligentiam meam à vobis desiderari patiar? Audite igitur, quibus litteris regum filios erudiri oporteat: neque minus eos, quicunque aliquan-

aliquando ipsi accessuri sunt ad rempub. Duorum generum prius est litterarum theoreticarum, quibus continetur sapientia, hoc est amplissimarum & cœlestium rerum scientiæ, quæ nominantur mathemata, & physica: quæ quis neget rege digna esse, cum quiuis homine digna esse censeantur? immò hoc magis rege digna sunt, quanto ille grauiorem personam, adeoq; omninum supremam sustinet. Itaque optabimus nobis ita diuinum hominem, & pænè deum aliquem, erimusq; auctores filijs regum, vt illa & & ipsi non aspernentur, sed perdiscant, quoad fieri possit. Neque hoc regis dignitatem minuet: quin contra augebit, veluti noua aliqua maiestate, neque obstabit officio rationiq; rectè moderandæ reipublicæ: sed hanc potius adiuuabit: siquidem is, qui videat obscura illa & subtilia, cernet facilius & certius, quæ pænè in oculis sunt omnium, & quodammodo manibus tractantur, & expeditius sese consilio è rebus difficilibus euoluet. Fraudi non fuit Pericli, quod Anaxagoræ Clazomenio in physicis & meteorologicis sedulam & diuturnam operam dederat: quin existimat Plutarchus, & admodum bonus auctor, & censor omnium eximius, Pericli Anaxagoræ consuetudinem contulisse plurimum præ alijs. ὁ δὲ, inquit, πλεῖστα περικλεῖ συγγενόμενος, καὶ μάλιστα περιθεὶς ὄγκον αὐτῷ, καὶ φρόνημα δημαγωγίας ἐμβριθέστερον, ὅλως τε μετεωρίσας, καὶ συνεξάρας τὸ ἀξίωμα τοῦ ἤθους, ἀναξαγόρας ἦν ὁ Κλαζομένιος. Pythagoras item, quò fuit sapientior, (fuit enim sapientissimus.) hoc fuit & prudentior, & plus potuit in suis populis constituendis & moderandis. Neque Archytæ obstitit exquisitior philosophia: neque Epaminondam impediuerunt multæ à Lyside acceptæ litteræ, vt ipsius hostes, qui patriam oppresserant seruitute, falsò opinabantur futurum, vt minus res magnas gereret, &

suos

ſuos cives in libertatem vindicaret: neque ob occupando orbe terrarum auertit Alexandrum, quod ex Ariſtotele non tantum, quæ ad regna & imperium orbis pertinerent, ſed & phyſica didiciſſet, quod quadam etiam ipſe epiſtola teſtatum facit. Plurium mentionem non faciam: vnum Ciceronem ſilentio præterire non debeo, qui diuinitate ingenij ſui, prout tum erant tempora, in quam non ſcientiam penetrauit? neque tamen non fuit præſtans ſenator & conſul, & conſeruator, ac ſuæ denique pater patriæ. Itaq; principibus digna eſt & hæc philoſophia, neque eius perceptio impedit vllam in partem officium regis ſiue politici: ſed contra non parum adiuuat, vt diximus, & quodammodo oſtendiſſe videmur. Neque tamen requiram, vt in illis ſapientiæ ſtudijs excellat princeps, cum hæc propriè ad ciuilium rerum tractationem neque faciant, neque reſpiciant. Neque tamen hoc non verum eſt, ex illis, quædam eſſe delibanda cuique, qui magnus eſſe in republica cogitet: neque hoc negauit Socrates, qui indignatione quadam animi, his ſtudijs, quibus erat tamen maximè ipſemet expolitus, minimum tribuebat, aut hoc præ ſe ferebat, quod videret illa excoli à pluribus, ſed cultum vitæ humanæ non ſolum ſuperbè, verum etiam ſtultè negligi. Oſtendit igitur, vt refert Xenophon, quousque omnino neceſſarium foret cuique ciuium, qui ad aliquam honorem aſpiraret, has ſcientias delibare. Commodè fortè fecero, ſi ipſa ſcriptoris verba vobis pronunciaro. Statim, inquit, geometriam diſcendam eſſe, aiebat Socrates, donec tantum quis profeciſſet, vt ſi opus eſſet, agrum menſura rectè, aut ipſe acciperet, aut alteri traderet, aut partiretur, aut in eo operas deſignaret: hoc vero adeò perceptu facile eſſe, vt qui ad menſuram animum aduertiſſet, ſimul quoque noſſet, quanta eſſet terra, & rationem eius dimetiendæ cognoſce-

ret. Improbabat vero, si quis geometriam ad difficillima intellectu diagrammata vsque disceret. Hæc enim quid conducerent, aiebat se ignorare: quamquam non rudis esset omnium. Aiebat autem ita multa & difficilia esse, vt vitam etiam hominis absumerent, nosq; ab alijs multis & vtilibus disciplinis auerterent. Iubebat vero etiam doctrinam de astris cognoscere: tamen hactenus, quoad tempus noctis & mensis & anni possent cognoscere, idq; peregrinationis & nauigationis, et excubiarum gratia: quoad item, cum alia, aut nocte, aut mense, aut anno certo gerantur, horum caussa, tempora, quæ diximus, certis argumentis vsi, distinguere didicerint: & vero hæc facilia etiam perceptu. Durior enim erat huius philosophiæ magister, & inuentor, licet eius inuentricem, vel potius parentem, naturam esse rectius dixerimus: neque tantum durus, sed etiam vix tolerabilis. Mouebat autem virum, flagrantem studio virtutis, amantem non solum Athenarum, sed prorsus generis mortalium, quod omnia vitijs scatere, & calamitatibus interire videret, eò quod nemo cogitationem de officio & repub. susciperet: sed contra omnia & priuatim & publicè, iratè, auarè, ambitiosè, libidinosè gererentur: quo cum per se esset nihil fœdius, nihil hominibus indignius, tum nihil domi, nihil in foro, nihil in curia perniciosius. Eius igitur iustæ indignationi veniam demus: studium erga omnes mortales amplexemur, & æmulemur, si quem afficit misera generis mortalium conditio. Non tamen existimabimus minus esse regium, principem delectari, & occupari aliquando his scientijs. Contrà namque regi aut principi reipublicæ turpe est, cœlestium orbium curricula ignorare: quod signum quoque, non solum supinæ cuiusdam oscitantiæ, pæn-q; stuporis, sed insuper etiam ignauiæ non ab re crediderit.

deris. Videtur animis, neque vnquam noctu iter feciſſe, neque peruesperi venatu rediſſe, neque multa nocte venatum exiſſe, denique numquam oculis aſpexiſſe ſidera. Turpe eſt ignorare, vbi terrarum quæ geſta ſint, & fortè vbi habites, ignorare: turpe item in natura rerum nihil perſpicere, aut ſcire etiam deſiderare: denique, cum homini cuius turpiſsimum ſit, omnia neſcire, nihil profectò turpius eſt, vel regi, vel principi ciuitatis, quàm ſi lapis inſideat lapidi, quod de ijs dicebat Ariſtippus, qui omnium liberalium diſciplinarum eſſent expertes. Sed hæc gloria regi & politico homini non ita affectanda eſt, vt propriam aut amittat, aut non magis tueatur. In his vitium eſſe aſſeuerat Tullius, ſi nimis magnum ſtudium, multamq; operam, in res obſcuras conferant, easdemq; non neceſſarias, ac non obſcurè hoc nomine reprehendit, C. Sulpitium, qui aſtrologiæ, Sext. Pompeium, qui geometriæ ſe totum addixiſſet, alios, qui in dialectica, alios, qui in iure ciuili toti eſſent. Sic namque cenſebat, non contemnendas eſſe has artes, quod omnes in veri inueſtigatione verſentur, ſed tamen illarum ſtudio à rebus agendis & procuratione ſalutis ciuium atque reipublicæ non eſſe diſcedendum: hoc qui faciat, eum contra officium facere. Licet igitur principi, & ex eius dignitate eſſe exiſtimandum eſt, vt mentem ſuam optimis quibusque ſcientijs excolat & perficiat, & hanc quoque, ſolidam profectò etiam & immortalem apud homines ſibi gloriam quærat & inueniat: ſed & diſcat tamen, idq; ea ætate, quæ ipſa diſci conuenit: cumprimis quæ ſui officij ſint, cum priuatim tum publicè: & quando imperium iam ipſi adierunt, vel magiſtratus gerunt, nihil negligant omnium, quæ ad procurationem bonorum & ſalutis reipub. pertinent, ſed contrà huic curæ ita incumbant & penitus affixi ſint, quemadmodum, ſi

licet à contrarijs exemplum petere, vel draco ille Colchicus aureo velleri inuigilabat, vt fabulantur poëtæ, vel formicæ Indicæ auri montibus incubant, de quibus etiam historiæ admodum aßeuerare videntur. Sed iam accedo ad alterum genus litterarum, quas regias sæpenumero soleo nominare, quòd propriè regum sint, & ipsis potißimum regibus magno studio comparandæ, perpetua meditatione retinendæ, & in omni vita, atque in imperio maximè vsurpandæ. Practicæ autem appellantur, quod in actionibus sint, nec earum nuda cognitio, licet per se liberalis sit, neq; quidquam prodeße, neque multum mereri laudis videatur, vt paullo inferius pluribus ostendemus. Sic igitur sentio in litteris practicis, facilè primum locum sibi vendicare doctrinam de vita & moribus, eamq; perdiscendam adolescenti regio ante omnia, quod ex ea, quæ sint officij, discantur, & hac ipsa vir bonus vberrimè informetur. Neque enim rex, qua potentia ipse est, (esse autem potentißimum, quis non videt, cum omnia in manibus habeat, & nutu suo, quod velit, facilè perficiat?) ea ad licentiam & libidinem abuti debet: quod si faceret vel in priuatæ solum modo vitæ consuetudine, iam tyrannidis ille certæ fundamenta iaceret. Sit igitur primum, & laboret in hoc primum, vt ipse bonus vir sit, non minus quàm quisquam alius in ciuitate. Vnumquemque enim virum bonum, cuius verbi vis in vniuersam virtutem, omnesq; officij partes extenditur: vnumquemque, in quam, virum bonum esse volumus, tam priuato, quàm publico nomine. Indignus enim erit consuetudine mortalium, & ab ea exterminandus longißimè, qui neque sibi probus erit, & cum alij iniustè aget: ipsa contrà dignißimus, qui erit summa vitæ innocentia, qui neminem lædere, neminem contumelia adoriri, neminem volet iniuria lacessere, non iam le-

gum

gum vinculis constrictus, non coactus metu supplicij, sed sua sponte, vnius rationis iustissimo imperio parens. Sua vero etiam caussa hominem, etsi quis neque humanitatis, neque patriæ, neque propinquitatis sibi habendam esse rationem existimet, qua feritate aut immanitate vix quemquam reperiri credibili est, probum esse, aut boni viri dignitatem tueri volumus, vt particeps sit non solum nominis humani, aut personæ hominis, sed multò magis animi, actionum, & felicitatis nostro generi designatæ & debitæ, vtpote quam animantium nulla præter hominem cogitet, nedum adipisci vlla vmquam ratione possit. Quin miseram vitam, & morti similiorem quàm vitæ, degat is, qui nihil dignum viro meditetur, & in vitia præceps feratur, etiamsi ei cetera omnia, quæ apud vulgus in precio sunt, multaq; mundi imperia, suppetant, negare non possumus. Itaque beatam vitam, aut eius siue partem siue similitudinem aliquam, siue, ne quis eum, quo vtor de exemplo veterum, loquendi modum carpat, viuendi commoditatem habebit is, qui virtutis studio tenebitur, eius actionibus fungetur, neque vmquam boni viri officium negliget, etiamsi honoribus & opibus non affluat, quibus, si accedant, vtetur, sin absint, eorum desiderio non torquebitur. Præter enim sedatos animi motus, & perpetuam mentis tranquillitatem, neque rebus aduersis concidet, neque secundis intumescet: sed his rectè vtetur, illis sapienter moderabitur: in quibus etsi est summa difficultas, vt pauci eam præstantiam consequantur: tamen si modo adhibeatur naturæ educatio, & hæ litteræ, plurimos virtutis humanæ, & humanæ felicitatis compotes futuros, non temerè sperabimus. Rectè igitur, opinor, cum vtraque de caussa, quemuis mortalium esse velimus virum bonum; optimum esse regem non iniuria etiam volumus. Ceterum etiam pro-

pterea præstare debet ceteris omnibus, vt omnes vel quamplurimos ipse meliores ipse reddat. Quem enim fugit omnium, exempla potentiorum in ciuitate, plus valere omnibus & vitæ regulis, quot vmquam à sapientibus traditæ sunt, & legibus, quas conditores ciuitatum tulerunt? Vitam regum pro regula, quam vt fabri sequantur sedulò, pro legibus, quas violare nefas sit, habent: non diligentius imitatur hominis opus simia, quæ hoc nomine maximè ridicula est, quàm æmulatur populus viuendi rationem, qua reges & principes reipublicæ vtuntur: præsertim si praua illa sit. Hinc princeps philosophorum ait, plerosque summum bonum in voluptate ponere, quòd videant potentissimos & opulentissimos quosque similes in moribus esse Sardanapali. Id vero non abs ratione fieri animaduertimus, tum quia cupiditates multitudinis sinceræ esse non possunt, tum quia cum animus exculcus non sit plurimorum inscitia feruntur, quo præcedunt principes, vt aretem quocunque aberret, vniuersus sequitur grex omnium. Interest igitur plurimum, & rectum omnino est, vt etiam exempli gratia, vel potius velut archetypus, rex siue princeps innocentia vitæ, probitate & omni virtute præditus sit, & quantum dignitate, tantum etiam illis antecellat omnibus, si fieri possit. Neque tamen minus rectum est, vt quisque ciuium regi par sit in ijsdem, quibus liceat cuiq; etiam præstare regi, modo eius dignitatem seditiosè non affectet: quod ipsum neque vmquam in virum bonum cadit, quando eundem à iustitiæ regula, ne transuersum quidem, vt aiunt, digitum declinare necesse est. Cum autem ob has causas talem esse regem velimus: hæc quoque æquè grauis esse existimanda est, quod tantum è bono bona oriuntur: nempe, pax, otium publicum, virtus & felicitas ciuium: non minus, quàm ex illimi fonte promanat fluuius lympidissimus:

mus: ex malo contrà mala. Quid enim boni geret in rep. rex iracundus, auarus, iniustus? quid senatores eiusdem farinæ, & hi præsertim, qui omnibus relictis suam potissimum vtilitatem procurent, aut de honoribus non secus ac de vita digladientur inter se, parum solliciti, quid de alijs fiat, deq; vniuersa republica? Ex malo mala oriri diximus: ex potenti igitur malo mala pessima, tumultus, bella, cædes, scelera, calamitosa omnia & misera. Multis modis plura mala intulerit hominibus homo improbus, imprimisq; rex improbus, qui iam in tyrannum degenerarit, quàm brutum animal aut immanissima quæque bellua. Homo equidem si perficiatur, non omnibus corporis partibus, pulchritudine & ætate, sed animo & virtutibus, optimum erit omnium animalium: contrà pessimum omnium, si deficiat à lege & iure. Iniustitia enim armis instructa, sæuissimum est. Hominem autem natura armauit duabus rebus, ingenio ad inueniendum & industria ad agendum, quibus in vtramque partem vti potest maximè. Itaque diuinus ille Socrates, familiaribus suis auctor erat, non vt subitò ad disputandum, dicendum, agendum, machinasq; fabricandas se conuerterent, sed sentiebat par esse, prius sibi modestiam comparare: quod, qui in illis polleret, neque ijdem modesti moderatiq; viri essent, & iniustiores, & ad maleficia magis industrij, futuri viderentur. Rationes exposui satis multas, & omnes, ni fallor, magni ponderis: ad quas hæc accedit, quamobrem regem virum bonum ante omnia esse conueniat, vt fidos regni consiliarios sibi adsciscat, & amicos bonos paret: quos inuenire sine virtute ex viris bonis nemo potest: neque ijs ille carere possit, siue aliquid calamitatis ingruat, siue omnibus rebus floreat. De aduersis equidem sic constat, vt in ijs nullum perfugium, nisi ad amicos, esse censeamus: secundus autem,

autem, quomodo vtetur, nisi sit; in quem bonorum veluti riuulos effundat, cum nihil pulchrius sit beneficentia, qua homines opis egentes subleuentur, sed, si amici ornentur, pulcherrimum? Taceo, ne vitam quidem vlli mortalium optabilem esse in solitudine: quæ autem expers est amicitiæ, illa est deterior, quanto à multitudine, in qua ad vnum omnes tibi hostes esse metuas, plus periculi immineat. In tuendis porro bonis amplissimis, & administrandis, qui amicum habeat neminem, nónne eum semper animo trepidare & perpetuò angi miserumq; esse existimabimus? Contrà, qui fide præstans sit, (idem enim bonus est.) facilè reperit bonos, quibuscum fruatur sua felicitate, in quos beneficia conferat, quibus in bonis tuendis, in omni genere negotiorum obeundo, cum summa animi tranquillitate feliciter vtatur. Neque hæc propterea minus vera sunt, quod vix singulos quaque ætate reperiamus, vel etiam vnicum eiusmodi aliquot seculis: modo hoc constet, si rectè educentur filij regum, tales exoriri posse etiam plures. Nos vero, quæ hic dicimus, pertinere ad regum consiliarios & senatores ciuitatum non minus arbitramur: nobisq; persuademus, & posse non difficulter & omnino debere, plurimos ex omnibus ordinibus educari ad rempublicam. Nisi igitur quis odiosè pertinax sit, facilè nobis assentietur, non quiduis licere regi, sed oportere eundem virum bonum esse: de alijs enim nemo ausit dubitare: neq; de hoc quisquam dubitet, nisi assentator: cum qua gente pestilentissima nobis nihil iam rei est. Aliud hic queri solet, quod ipsum paucis expediemus: tantáne sit doctrinæ vis, vt ex ea boni viri euadamus: an non vel natura bonos fieri, vel educatione potius putandum est? Etsi alibi bonis rationibus confirmatur, virtutem inesse hominibus neque natura, sed ita nos esse natos, vt eam acquirere possimus:

mus: tamen non infitiabimur, indolem esse in paucis admirabilem, quam heroicam dixêre veteres, cui pædagogo & doctore non esse admodum opus videatur, itemq; ex generosis procreari generosos: licet talium etiam liberos pestes sæpe esse prouerbio celebretur. Tamen haud scio, quem ex illis heroibus nominare quis habeat, qui prorsus sine doctrina, sine educatione tantus euaserit: mihi sane neque ex illis quispiam, neque ex alijs, etiam clarissimis hominibus, in mentem venit omnium, qui simul & priuatim bene vixerit, & rempub. præclarè gesserit, solius naturæ suæ opibus, sine institutionis liberalis & litterarum adminiculis. Nam quod magnificè præconio ornat Themistoclem Thucydides: qui natiua intelligentia, atque ita vt ad eam vel parandam vel augendam, neque ante quidquam, neque post didicerit: negotiorum, quæ vel repentè inciderent, subita deliberatione præstantissimus esset existimator, & ex ijs, quæ euenire possent, omnium, eius, quod euenturum erat, coniectator esset optimus: qui, quæ in manibus haberet, etiam explicare oratione posset, & quorum imperitus esset, nihil repudiaret, quin dijudicaret egregiè: quid item in quaque re aut valeret aut noceret maximè, etiam momento prospiceret: qui beneficio atque vi naturæ, minimo studio, de rebus maximis, quæ illo pertinerent subitò videret, et ex tempore diceret: vt suam potestatem natura in eo ostendisse videatur, atque illum hac de causa supra modum admirari, quàm quemquam alium oporteat. Hoc igitur grauissimi historicorum de summo imperatore præconium, nihil penitus aduersatur nostræ sententiæ. Nam & ipse hoc ita prædicat, vt rarum, quod ad neminem illius aurei seculi & gentis nobilissimæ pertinere videretur: vt qui similem naturæ bonitatis excellentiam sine diuinitatem potius, sibi apud nos ominetur, ipsemet

ſtultitia ſua ſapientiæ nuncium remittat. Neque ſi libeat mihi aduerſus Thucydidem dicere, nihil in mentem veniat, quod omnibus probem, & re ipſa ſeſe ita habeat. Facilè enim vincerem, neque prorſus Themiſtocli educationem, de qua primo dubium nullum eſt, neque litteras defuiſſe, qui Athenis natus ſit, Athenis nutritus, Athenis vixerit: cuius laudatiſſimæ ciuitatis encomion huic orationi meæ non intexam: dicam tribus verbis: fuiſſe Athenas domicilium ſapientiæ, & communem ſcholam, Græciæne an plurimarum circa gentium? vt qui ibi ætatem egerit, vel aliud agens, acuiſſe ingenium, acre præſertim, etiam doctrina videatur, etiamſi ad circulos diſputantium rarius acceſſerit. Exquiſitas autem litteras, neque in quîuis ſenatore, neq; in quîuis duce requiremus: et ijs caruiſſe Themiſtoclem quoque, & hoc voluiſſe Thucydidem, credibile eſt. Nos autem naturam nobilem requirimus, mediocri deinde contenti erimus, humilem ſuſcitabimus, vel relinquemus. Videntur enim aliqui nati ad ſubeundos labores corporis. Quos igitur natura ſeruili prorſus conditione finxit; in ijs emendandis operæ nihil eſſe ponendum exiſtimabimus, ſed communi eos hominum & forma & nomine gaudere iubebimus. Naturæ porro, quamlibet nobili, adhibeatur educatio liberalis, & à puero ad virtutem aſſuefactio: quod niſi fiat, etiam optima indole quiſpiam in conſuetudinem delapſus improborum perierit, aut ad quam perduci præſtantiam facile poterat, numquam peruenerit. Socrates, quiq; ſecuti ſunt, in prima inſtitutione pueros eſſe aſſuefaciendos docent, vt delectentur, quibus rectum ſit delectari: vt ex quibus dolorem capere itidem rectum ſit, ijs doleant: vt vitent, quæ fugienda ſint: vt faciant, quæ facienda. Non parum enim intereſſe, hâcne vel illa ratione quis à puero ſtatim adſuefiat: immò plurimum: vel

potius

potius in hoc esse posita omnia. Denique hoc esse principium, vt quis talibus sit moribus, tali animo, & animi instituto: neque opus fore huic magnopere inuestigatione causarum, quamobrem quidque fieri aut non fieri oporteat. Tribuemus igitur, & nos educationi, primum ordine, & potissimum dignitate, locum: neque tamen ab ea doctrinam separabimus: sed patiemur hanc illi inseruire, quod potest profectò, & cupit, plurimum. Quis enim ita educatur, vt adultior nihil præteritum queratur? vt in se nihil desideret? vt non ipse in se aliquid reprehendat? Præsidio bonæ doctrinæ abijciet aliquid vitij homo studiosus, aliquid nouæ virtutis acquiret. Quod si quis per se, quæ dixi, minus animaduertat; hoc genere doctrinæ cognito, statim se agnoscet rectius. Denique si qui sint optimis moribus, optimo animo; eos hisce litteris, de quibus agimus, in instituto cursu retineri, & mirificè confirmari, dubitare non possumus. Est igitur cognoscenda de moribus formandis doctrina summa diligentia, sæpe vel lectione vel auditione regustanda, perpetuò meditanda, tum omnibus, si fieri possit, tum his potissimum, qui vel ad rempub. accessuri sunt, vel remp. gerunt. Neque ab ijs, quæ diximus, alienum est, quod ad Antigonum scripsit Zeno: vel potius, quæ nos diximus, cum philosophi illius sententia mirificè conueniunt: natura, inquit, nobilis, si adiungat sibi mediocrem officij vsurpationem, neque eum respuat, qui de recta viuendi ratione vberrimè doceat; absolutam virtutem facilè adipiscitur. Sed hæc hactenus, quibus ostendere conati sumus, & satis, opinor, ostendimus, primum litterarum regiarum genus. Alterum est varium, continetuŕq; ijs libris, quibus status ciuitatum seu formæ politiarum explicantur. Hos enim nosse cumprimis oportet eum, qui ciuitatis populorumúe moderator aliquando futurus sit, non

minus, quàm gubernatori, mare, quod ingreſſus eſt, antè exploratum eſſe oportere intelligimus, tum ne ad ſcopulos latentes nauem frangat, tum vt facilius, rectà, quà velit, curſum dirigat. Tempore quidem cognoſcuntur, & vſu res mortalium: ac propterea ſenes ſuſpicimus. Verum nos eum, qui laboraturus ſit de bono communi, qui aliquid geſturus ſit pro ciuitate, eſſe ſimilem nolumus Ægyptio Ithacenſi, Qui, vt inquit poëta, iam curuus erat ſenio & quamplurima norat. Senectus enim rebus gerendis minimè idonea eſt, etiamſi conſilio valeat. Principes quidem ſenum vti conſilio, vt Agamemnon Neſtoris, & poſſunt et debent: neque tamen ipſi omni carere conſilio, & prorſus nihil ſapere: quin, ſi quid facto opus per ſe non ſatis queant perſpicere, non eſt alienum à prudentia, vel certè admodum propinquum, (intelligentiam nominabimus) aliorum conſilia dijudicare, & ex multis ſiue contrarijs ſiue diuerſis ſententijs deligere, vel tutiſſimam. Itaque & hominum ingenia & varietatem negotiorum tum inter deliberandum, tum inter agendum cognitam eſſe oportet. Maturius autem cognoſcuntur omnes ſpecies vitæ mortalium, principio ex libris de vita & priuata & publica: proficias magis, & te mirificè confirmaris in ipſam vtramq; oculos quotidie infigens: cur enim hoc negligas, quod ſenſibus tenere poſſis? deniq;, ſi inquiras, quæ antè geſta ſint: quòd conuerſiones rerum humanarum perquam inter ſeſe ſunt ſimiles, & ſæpe, perſonis mutatis & locis & temporibus, eadem geri videantur. Monent etiam de ingenijs hominum, magiſtri dicendi optimæ notæ, qui integram artem, non eius aliquas appendices vel particulas tradiderunt: ſed de ijs ſuo loco deinceps dicetur. Hiſtorias vero omnium temporum auidè cognoſcet ab ineunte ætate princeps: & quidem principio potiſſimas, & ſuorum maiorum

ſuæq;

suæq; gentis & vicinarum maximè: neque negligat, sine quibus neque res gestæ commodè considerari, neque fideliter memoriæ mandari possunt, seriem seculorum & situs regionum: de quorum posteriore ipsi etiam nos geographi non abs re monent. Quantopere verò conferat historia principi & politico homini, sæpe alias à me quoque dictum est: à pluribus ante me luculentè & copiosè perscriptum. Non solum enim vitam moresq; hominum nobis ipsa patefacit, sed & multa docet omnibus suis partibus, spectantia ad vitam priuatam, ad gubernationem regnorum & rerumpub., exempla suppeditat, et consilia de omnibus, quæcunq; gerantur inter mortales. Porro ad hoc secundum genus doctrinæ regiæ pertinent & poëtæ omnis generis: è comicis vitam priuatorum, è tragicis regum, ex epicis quoslibet mores cognouerimus, præter honestam voluptatem, cuiusmodi ex elegantissima pictura capias, et multiplicem vtilitatem: de quibus neq; hic dicendi locus est. Neque obstat huic instituto, quòd vel excogitata illa sunt à poëtis, vel, quæ vera sumpserint, ea ita tractata & expolita, vt quid veri insit, quid falsi, nequeas dinoscere: hoc sibi habet proprium & propositum poëta, vt imitetur et exprimat, quantum in ipsius arte est & ingenio, vitam, mores, consilia, sermones, & actiones hominum: non ea canat scribatúe, quæ prorsus acciderint, sed cuiusmodi multa acciderint, & plerumq; accidere potuerint, & plurimum eueniant. Confert igitur eorum lectio & accurata consideratio, ad hanc rem, quam diximus. Neq; sunt tantum puerilis institutionis poëtæ, vt vulgò existimatur. Pudet enim hodie plerosq; viros politicos lectionis poëtarum, non solum, quia perpetuò occupati sunt, (datur tamen aliqua remissio à negotijs, quod otium multi impendunt vel aleæ vel conuiuijs) sed etiam, quia vel eos intelligere in pueritia non didicerunt, vel quia

ſummam cogitationum ſuarum ad opes referunt, quarum nulla eſt auaris ſatietas. Neque rectè ſentit Eratoſthenes, & quotquot aiunt, poëtas nequaquam docendi, ſed tantum oblectandi gratia, ſe ad ſcribendum conuertiſſe: & rectè illius opinionem reprehendit Strabo: qui præterea affirmat priſcos illos mortalium perhibuiſſe, artem poëtarum, primam aliquam philoſophiam eſſe, quæ nos in vitam introducat à pueris, & doceat mores, affectus, actiones hominum, idq; cum voluptate: poſteriores vero ſenſiſſe, ſolum poëtam eſſe ſapientem: ac proinde Græcas ciuitates liberos ſuos primùm omnium monumentis poëtarum eruere, nequaquam, vt nihil ex ijs hauriant præter voluptatem, ſed vt efficiantur modeſtiores. Nos vero in eadem ſumus ſententia, & hoc conſilij damus, etiam omnibus, qui expolire animum moresq; ſuos cupiunt, vt poëtas ſibi minimè eſſe negligendos exiſtiment, eumq; cumprimis, ex quo deinceps omnes veluti ex oceano profluxêre ceteri. Non eſt autem vna hæc diſcendi poëtas cauſſa, quam diximus, ſed ſunt plures aliæ, de quibus ſuo loco, & inter eas, ipſa ratio etiam reipub. capeſſendæ: ſi nacti erunt illi bonum interpretem, & ætate corroborentur ingenia diſcentium. Multa enim diſcimus pueri, vt pſittaci, & multa diſcere pueros iubemus, quorum ipſi vſum demum intelligunt, vbi adoleuerint, & ad res gerendas ſe conuerterint. Hactenus de duplici genere litterarum egimus, quibus eius, qui ipſe primariæ regis arti operam daturus ſit, pectus eruditum eſſe oportere exiſtimamus: vt diuinam hanc virtutem diſcat & exerceat de mortalibus optimè merendi, quod vt eſt Dei, ſed perfectè proprium, debet eſſe non minus regis, ſed quoad fieri eius poteſt; bonum eſſe ipſum non iniuria volumus: vt rectè negotia pacis & belli aggredi poſſit & tractare diſcat; vitæ humanæ non imperitum.

peritum. Diximus igitur de rudimentis summæ regiarum artium: atque vtinam sine ijs, ad hanc nemo aspiret: vtinam vero, nisi illis, quas dixi, litteris probè munitus, nemo ad rempub. accedat: sed, proh dolor, quanta cum calamitate publica, plerique hodie capessunt rempub., qui & illas litteras, & ipsam politicen vix leuiter attigerint, vel prorsus etiam nesciant. Hæc enim est omnium scientiarum siue facultatum princeps, maximeq; architectonica. Constituit enim ipsa, quibus in ciuitate artibus opus sit, cuiusmodi quemque oporteat & quousque discere: hæc ceteras facultates, etiam eas, qnæ in summo honore sunt, sibi subiectas habet, rationem tuendæ rei familiaris, artem dicendi, ipsam denique imperatoriam: hæc vtitur omnibus ad vitæ cultum artibus necessarijs, ac denique leges fert & præcipit, quæ cuique sunt facienda, à quibus etiam abstinendum: hoc est gubernaculum, quo princeps remp. quacunque tempestate dirigit: hæc repertrix est propria, & custos felicitatis humanæ: per hanc omnia bona diuinitus obtingunt mortalibus, sed ita, si illam vsurpent: sin repudient, illis nequaquam potiantur: quod explicatu facilè est, intellectu facillimum, si quis animum velit aduertere. Cum enim in minimis nihil consequamur temerè, in hoc omnium summo sine ratione omnia consecuturos sperabimus? neque non tamen, quidquid boni est, ab auctore bonorum proficisci asseueramus. Qui igitur hanc facultatem adeptus sit, nónne hunc esse principem ciuitatis patiemur? nónne præsentem esse deum existimabimus? Quem autem fortuna constituerit in regno, quem cupiditas in senatu, tantisper erit persona, donec is euadat aliquando forsan, et vix longo tempore, cuiusmodi nos informari volumus. Dicat quis, longè secus fieri: idem rectius, malè fieri, non negarit. Cum enim hæc ratio improbè & superbè negligatur:

gatur: itaque beati sumus, neque calamitatis publicæ finem prospicimus. Vtinam reges, principes, regum principumq; consiliarij, rerump. senatores, monumenta sapientum, quibus politice explicatur, didicerint, aut etiam adulta ætate non fastidiant. Degustari enim potest ab adolescentibus, cognoscitur à paullo adultioribus, perdiscitur à viris, & ab ijsdem perficitur: aut cum hoc non fiat, saltem poëtarum & historicorum lectionem non in perpetuum aspernentur. Quæ enim aurea sunt omnia in philosophorum libris; ea in vtrisque illis dispersa quoque apparent, si quis obseruet, quod in negotijs versato, & distinguat tamquam salutaria pharmaca à noxijs, quod bono viro, non est difficile. Qui autem olim in senatu regis aut imperij sententiam dicere velint, cogitent sibi nihil iniqui oneris imponi, si iubeantur politicam philosophiam discere. Laboris est, inquies: non nego: immo maximi laboris, & vigiliarum plurimarum: sed te id, quod multi inuideant, multiq; expetant Inscitia sit postulare, si laborem cum summa cura offeras nullum, vt scripsit Accius. Neque satis est ius ciuile didicisse, vel etiam omnia omnium volumina peruolutasse, & quasi, quodcunque ad te deferatur factum, in promptu habere: satis hoc ei est, qui in foro perpetuò versari, & nobilis esse patronus causarum, aut etiam regnum iudiciale tenere constituerit. Multis partibus sapientiorem esse oportet principem, aut consiliarium omnium temporum: quanto plura sunt, vbi consilio & pace & bello opus est: nisi quis in foro & curiam & castra constituat, & res singulorum cum negotijs reip. misceat. Neq; satis est, politam orationem adferre, etiamsi certes eloquentia non cum tuo solum, sed cum prisco illo Athenienſium & Romanorum seculo: & præterea non vna lingua, sed multis etiam probes, quantum suauitate & vi dicendi valeas:

leas: quando ea ars vel stolo quidam, vel ramentum est politices. Paucis enim hodie gradibus, ac potissimum hisce duobus; iuris scientia, & aliqua loquendi promptitudine, in summos senatus ascenditur vtplurimum. Esse autem summis etiam ingenijs vberiore doctrina opus, & ij confirmant, qui hisce, quæ diximus, sapientiæ armis instructi ad rempub. accesserunt, & fatentur, qui cum à potissimis imparati accessissent, deprehenderunt inscitiam siue inertiam suam, & quamuis serius, quod ipsum tamen satius est, partim doctrina meliore, partim vsu se ad summum in ciuitate munus, magis idoneos reddunt. Si qui vel imperitia, vt esse solet iuuenum, vel pertinacia, quales sunt, qui de se retexendis spei nihil habent reliquum, in viam redire nequeunt, vel aliter sentire nolunt; eos neque docere inuitos, neque obiurgare frustra conabimur. Qui bonæ indolis sunt, & teneri adhuc, ratione in rectum iter vitæ & degendæ & moderandæ ducere non desinam: atque in hac re cum apud nonnullos hactenus profecerim, quod equidem gaudeo, spero me apud plures porro etiam profecturum, hoc magis, quo vel plus auctoritate valere debeo, vel rationibus queo demonstrare plenius, vbi opus est: quod facere nullo negotio potest, qui & vim propositæ rei aut intelligit, aut explorare didicit, & diuersa suis verisq; inter se notis distinguit. Vbi autem feci mentionem artis dicendi, neque ipsam contempsi aut repudiaui, sed hoc reprehendi, quod huius non sane magno studio multi se ostentant & venditant, cum potiorem habent rationem sermonis, quàm rerum: quod tamen non huius ætatis vitium tantum est, sed & priscorum temporum, quando in ipsa Græcia personam politices sibi sumebat audacter oratoria: nacta occasionem, quod in politijs popularis status, qui essent maximè politici, fere quotidie ad populum orarent. Itaque, qui in concio-

nem ascenderent, & plebem demulcere verbis auderent; in politicis à multitudine, cuius hebes est etiam in rebus non maximis iudicium, habiti, ex hac quasi possessione deinceps se deturbari non patiebantur. Sed elegantiæ & vbertati orationis suum locum suasq; laudes summa voluntate tribuimus: ac tantum abest, vt huic arti aliquid detractum velimus, vt hoc vltimum regiarum litterarum genus constituamus. Non dubito enim, quin honesta, vtilis, & necessaria sit reipub. atque principe digna. Nam qui honores quærunt, intelligunt ipsimet, se eloquentiæ opinione multum sanè proficere. Huius enim viribus & sententiæ dicuntur in senatu, quas luculentè explicari oportet, & amplissimæ legationes obeuntur, quas infantia deformat admodum. Nam in scribendo orationem neque obscuram, neque humilem, neque incultam, neq; alienam esse oportere, quis non iudicat? Quare qui aliquo scribendi munere funguntur, in hoc rectè laborant sedulo, atq; hodie plures in ea re plus valere existimantur. Verum non satis est in rebus quotidianis, vt solennibus consalutationibus, oratoris munere fungi, quod idiotæ perquam multi vel natura nouere, vel vsu didicere diuturno: in rebus grauissimis videndum est, non solum, ne obmutescas, (impudentia enim etiam satis verborum plerumque subministrat) sed vt ea dicas, quæ tum ob splendorem orationis, tum ob grauitatem sententiarum probentur. Nulla namq;, aut certe pertenuis est laus orationis, nisi orator ex ea simul prudentiæ laudem fuerit adeptus: neque iniuria: quoniam nuda oratio illecebris similior est, quibus fortasse gaudeas: consilio tamquam aliquid in manum datur, quo fruaris. Itaq; esse instrumentum nobile politices artem dicendi scripsere veteres, homines sapientissimi. Orationem autem regem decere, neque magnificentiæ verborum, neque rerum maie-

statis

statis egentem, ipsumq; magis exornare, quam vel aurum, vel gemmæ, vel purpura, ad Alexandrum Macedonem Anaximenes, Lampsacenus, vt existimatur, scribere non dubitauit: neque non in hoc & reges laudatissimi & politicorum optimi quique operæ sibi ponendum plurimum censuerunt, vt sermonem, mentis humanæ admirabilem illum nuncium, cuiusmodi veluti legatione fungeretur, tali etiam habitu vestirent. Persecutus sum quatuor genera litterarum regiarum, quòd totidem esse mihi visa sint: reliquum est, vt exemplis ex vetustate petitis: me non aliena dixisse, vobis probem. Id igitur, quando nihil etiam nobis iam temporis superest, faciemus proximè. Mirificè enim cupio, si qui de hac re adhuc in vestris animis scrupuli residunt, eos eximere, et veras sententias bonis rationibus confirmare, vt aliquando, et vos hæc didicisse gaudere possitis, & patria cum vestro honore, suo autem bono, vestra opera fruatur.

Sequuntur ex epistolis, quarum in indice mentionem fecimus, aliquæ.

Ioannes Caselius S. D.
GREGORIO BERSMANO.

DEdi ad te, Bersmane, nescio quid proximè litterarum. Subitò enim scribendum erat. Vtplurimum enim litteras poscunt tabellarij, quando velut è carceribus iamiam excurrunt, & pæne dixerim auolant. Id erat mense altero. Iam vero mearum rerum haberes vberrimum interpretem, Henricum Mensingium nostrum, si, quod in animo habebat, iamq; ingressus erat iter, perficere ipsi licuisset. Dederam enim permulta ei in mandatis ad te. Cui enim rectius quàm familiari? ne epistolæ quidem. Verum id secus accidit, vt nec ille nobis potuerit gratificari, & ego tibi tam cognitu acerbum, quàm scriptu mihi de eo nuncium, ad te perscribere necesse habeam. Amisimus namque adolescentem carissimum, summum vtriusque cultorem. Valde autem eum amauimus (tuto enim, vt de me, ita de te quoque id affirmare posse mihi videor) non tam, quòd ab eo nos diligenter obseruari intelligeremus, etsi neque hoc nihil causæ esset, quando vix cuiusquam ea est vel asperitas vel immanitas, vt hunc, à quo diligatur, oderit, quàm quod iustas eius amandi eas causas habuimus, quæ apud omnes homines conciliatrices beneuolentiæ esse solent. Vis enim maxima est probitatis & modestiæ in adolescentia, maximè apud spectatos viros: nec mirum, cum sæpe etiam vel nefarios hostes in admirationem sui, species virtutis excitet. Proinde nihil videatur absurdius, quàm si nos ea non capiamur, cuius studium profiteri non dubitamus. Quis enim credat, vllum esse sapientiæ studium, à virtute separatum,

ratum, aut remotum? Neque tamen ignoramus, animi bonorum, quæ sit inter ipsa affinitas, quæq; differentia. Vtinam vero, quæ mentis sunt bona, ijs semper comitentur altera, quæ consilij, morum, atque vitæ perhibentur: quod inprimis optauit perpetuo, optimus humanæ vitæ auctor, Socrates. Sane & hæc & illa admirabilia & diuina sunt. Hinc igitur non sine caussa euenit, & aliter fieri non potest, vt boni ijdemq; docti viri, (non dico doctissimos, quibus vulgus & imperiti veluti sceptrum & diadema sapientiæ deferunt) & sancta quadam coniuratione, respiciente veritatem & vtilitatem publicam, se inter se sincerè colant, & virtutis bonæq; doctrinæ deditos sincerè ament. Non iam persequar, quæ nobis inter nos velimus & debeamus: quos profectò certis vestigijs ad probitatem & litteras ingredi videmus, eos sine dubitatione, vti dixi, amamus: omnibus nostris opibus iuuandos statuimus: erudiendo, monendo, cohortando, quacumque alia ratione: procurrentibus in spacio gratulamur: si quid ipsorum honestis obstet conatibus, conamur amoliri: etiam ipsorum infelicitatem dolemus, vt liberorum. Talem te esse erga tuos alumnos non dubito: me talem fuisse erga meos, à multis iam annis ipse mihi testis sum apud me locuples: neque desunt tamen, qui meum erga se animum, ceteraq; beneficia prædicent. Cum autem æquè amicissimè fuerimus affecti erga Henricum Mensingium, parem dolorem ex ipsius casu capimus. Præmaturè nobis ereptus est, sed multò magis studijs opt. artium, id est vtilitati publicæ. Si enim vllus ordo seruit communi vitæ hominum; hic certè noster est. Nemo enim est nostri ordinis reuera, quin & quibuscum vitam agit, et longè etiam dissitis plurimis, & præsenti seculo, & posteritati etiam seruiat egregiè: quod fortasse neque vulgo in vniuersum, neque multis regibus persuaserimus: nos tamen hoc intel-

ligere, nostra interest, vt pulchritudine nostræ vitæ generis confirmati, vt negligamur, vt premamur, vt rideamur, locum in acie non deseramus, sed omnem barbariem, eiusq; socias aut gemellas sorores, inscitiam, malitiam, & quicquid incommodat rectæ rationi vitæ, sedulò profligare pergamus. Sed redeo ad Mensingium, qui quoniam occasionem mihi dedit ad scribendum, non indulgebo dolori, neque id faciam, quod nostræ litteræ prohibent, vt me frustra animi angam: sed in multis malis hoc quoque feram, & ratione medebor huic quamuis recenti plagæ, ad ea conuertens animum, quibus & ipse animus alitur maximè, & homo non euertitur. Neque ille velit, nos aliter hic nos gerere: non nolit autem de se nos dicere, quæ cum veræ sint, tum nostrum erga ipsum amorem testentur: neq; hoc improbet, qui ex huius epistolæ lectione fructum aliquem capiat, & vel exemplo vel doctrina, animo informetur: neque te pigeat, quæ maximam partem noueris, recognoscere, & mecum tacitè considerare, qua re si nunc voluptatis nihil parare nobis possumus, minuemus tamen molestiam. Sed in ceteris non exspectas, vt de ijs bonis Mensingij multum verborum faciam, quæ fortunæ potius, non ipsius propria fuerint. Sed neque tamen quid habuit plebeium in animo, neq; à maioribus. Primum enim vtraq; ipsius patria est adprimè nobilis. Duas enim poterat legitimè agnoscere: vnam, vbi ipse esset in lucem editus, hanc ciuitatem, in qua mihi viuere satis commodum est, celebrem & negotiatorum frequentia & doctrinæ studijs: alteram, nobilissimum huius oræ maritimæ emporium, et principem ciuitatum ad mare versus boream confœderatarum Lubecam, quæ nomine εὐνομίας & apud longinquas gentes bene audit, & ab acribus vitæ hominum censoribus magnopere prædicatur. In ea eius proauus Bernardus Bomauerus,

equitis

equitis aurati dignitate præstans, quæ illo seculo propterea magna erat, quod non nisi fortißimis viris & bene meritis de patria tribueretur, & consulatum cum laude gessit, & quo tempore Lubecenses regnum Suecorum occuparant, cum imperio arcem Stocholmiam tenuit. Huic nepos ex filia natus & ipse Lubecæ est Bernardus Mensingius, qui cum esset in inclyta illa ciuitate apud honestißimos homines liberaliter educatus, & liberalibus disciplinis expoliri cæptus; ijsdem se totum dedit, tantumq; in studijs sapientiæ profecit, vt bonas litteras de auctoritate senatus nostræ reipub. in hac academia publicè docuerit, etiamdum superstes, cum primum ipse huc venirem. Hoc patre, homine doctißimo, & matre, femina primaria, filia huius reipub. consulis, Henricus natus est. Sed mihi hoc felicior videtur fuisse, non tam, quod istis parentibus, quod tamen neque ipse leue esse duco, quando raro humillima in altum ad veram dignitatem euehuntur, quàm quòd inter Musas & natus primum & statim educatus fuit. Erant enim ei & alij propinqui, viri litteris clari, primum auunculus Henricus Varenius, qui & ipse doctrinas mathematicas dictas, in eadem hac nostra academia docet, & materteræ maritus Augustinus Ratca, iurisconsultus, de quibus, vt de amicis, & vicinis, illo quoque collega, parcius loquor. Neque enim homines ab omni arrogantia remoti, aliud volunt: neque meum est, videri velle audientium aliquid auribus dare. Cum autem puer admodum, ita tamen tingi cæptus litteris ab vltima infantia, patrem amisisset; partim naturam suam, partim exemplum parentis, partim voluntatem propinquorum secutus, totum se illis libenter addixit. Tutorum etiam auctoritas apud adolescentem plurimum, vti debuit, valuit, primum auunculi, qui ipse in litteris omnem ætatem ageret: deinde Balthasaris

Gulij,

Gulij, consulis, & Andreæ Masonis, senatoris, quos ego homines ordinis amplissimi magni facio, vti par est, tum ob humanitatem & singularem erga me beneuolentiam, tum ob bonarum litterarum scientiam, quibus in hac potissimum academia, id quod & ipsi grato animo profitentur, atque iccirco cum nostro ordine sunt coniunctissimi, animos suos præclarè excoluerunt antè, quàm ad rempub. accederent. Itaque ipsorum & vsus maior est in ciuitate et dignitas. Quam autem hi et amici et ceteri, de pueri ingenio spem conceperant; eam indies ille magis confirmauit, cum omnibus modestiam in moribus probaret, & in vtraq; lingua multum proficeret: atque ipsi tum commodum fuit Lubecæ discere ex optimo magistro Iobo Madeburgo. Æqualium nemo adolescentulum superauit, æquauere pauci: id quod mihi ex ipsius condiscipulis ipsimet retulerunt. Postquam autem & in illa schola, & in hac academia bonæ doctrinæ initia quædam accepit: cæpit quoq; statim non adumbratæ alicuius scientiæ cupiditate flagrare. Cum enim à nobis moneretur, non esse illas veras litteras, quibus hodie satis multi ostentatores se pro sapientibus in vulgus venditant; facile manus dedit, & subitò credidit, se, etsi iam didicisset illa bonarum artium elementa, manibus iam trita omnium, vixdum tamen bonas litteras primoribus, quod aiunt, labris delibasse: quæ teneret, habebat, vt erant, pro puerilibus: quæ videret veteri illo & à philosophis in pertuum repudiato, sophistico more in speciem proponi; ea negligebat & procul à se abijciebat. Quædam enim pestis, vti scis, in Gallia, nobis pueris, inuasit in bonas litteras, non inelegans primo aspectu, inscitiæ tamen patrona, mater ignauiæ, veritatis negligens, iactatrix dementis cuiusdam sapientiæ: ea, quod sciam, Alpes non transijt: neque enim illas ineptias animaduertimus in Italia: sed ex agro Gallico serpsit

serpsit per Germaniam, & scholas, in quibus pueri instituuntur, infecit sane multas, è quibus ad nos sæpe scioli veniunt, loquaci inscitia satis armati, vbi primum dicendi occasionem arripuerint: quod equidem doleo, sed magis doleo, quam dico peruersam rationem, in regias etiam scholas vel irrepere vel irruere. Vide quid non ausit impudentia: etsi non nulla est etiam, nostrúne, an quorundam nostri ordinis culpa? qui illam auctoritate nostra non serio semperq; coërceamus: neq; tamen non video, aliam & multa importuniorem & potentiorem nobis obsistere, quæ denuo nobis nouum barbariæ imperium molitur. Sed ne à Mensingio abeam longius: ille nequaquam ad limen impingens, neque aut iudicio aut cupiditate alucinans, statim se ad viros doctos contulit, à quibus ad bene beateq; in societate mortali viuendum, quod non temerè pollicetur philosophia, rectè erudiretur. Delegerat autem sibi virum grauem, & præclarè eruditum, Nathanem Chytræum, vnum ex meis intimis, amicum vero etiam tuum, ad cuius iudicium & mores conformaret, & porro inchoata studia dirigeret. Etus quoque domi sponte viuebat, vt admonitionem expetere, obiurgationem etiam non refugere videretur. Quid igitur mirum, si multum, si breui, eo ingenio adolescens, ea cupiditate, eo studio, illo duce, proficeret? præsertim cum fere quotidie in scribendo exerceretur. Iam tum autem & solutam numeris, & ligatam orationem ita egregiè componebat, vt & subito ætatem istam, & se indies superaret. Multum faciebat ad eam rem, quod plebeiarum, velutiq; tabernariarum scriptionum nihil attingeret, versaret autem sedulò omnes Romanos aureæ illius ætatis scriptores: neque eos percurreret, vt fit, sed consideraret, vt eorum mentem plenius intelligeret: quod quo facilius consequeretur; tum quod ipsum sugeret, vel ex æqualibus

vel ex hominibus doctis sciscitabatur, tum interpretes, quos probari nobis intelligebat, simul legebat. Persequendas vero etiam Græcas litteras putabat, & cognoscendos illos perennes fontes sapientiæ. Græca igitur monumenta quæ poterat, legebat per se: alia audiebat cum priuatim, tum publicè explicari: denique, cum scriptores, optimos illos quidem, sed ad intelligendum non cuiuis faciles, (in ijs erat proximè Lyricorum ille princeps Pindarus) communi studio cognosceremus, homines aliquot eruditi, vno interpretandi molestiam suscipiente, ceteris nihilominus suas cogitationes ad sententiam, è qua vnus alterúe haud facilè emergeret, confirmantibus; impetrauit ipse quoque à nobis facilè cum perpaucis præclari ingenij & acris studij adolescentibus, vt vna interesset nostrus illis scholis singularibus, frueretúrque nobiscum vnà dulcissimis animi epulis. Non enim philosophum esse putauimus, vel cum paribus non communicare de litteris, vel minoribus earum communicationem inuidere: vtrumque sophistarum proprium esse existimetur, & commodis suis, & falsæ auctoritati consulentium, non veritati & societati mortalium. Ceterum contenti sunt plerique hac eruditione, vt tincti leuiter ceteris scientijs, animos lectione poëmatum, orationum, historiarum in perpetuum oblectent, & se ad vitam ciuilem instruant egregiè, inq; ea rectè colenda mirificè confirment. Vtinam nemo vel regnum gubernet, vel aliquod in respublica munus gerat, nisi vel hisce tantum studijs, sanè tam iucundis quàm vtilibus, & imbutus, &, quod per negotia liceat, in perpetuum occupatus. Tanti ego hæc facio, & pluris adeo quam multa, ijs quæstuosiora, etsi hæc sola ferè nunc in precio sunt. Quamuis igitur illis quoque mirificè hic adolescens caperetur, eaque coleret summa diligentia, neque vm-

quam,

vero res vmbræ, veritas opinioni præstat, tanto maiore laude dignus est, qui esse doctus, quàm credi cupiat. Cum autem hic adolescens ad sapientiam non adumbratam contenderet, ita se in hoc præclaro suo instituto gessit: verum haud scio, an ex ijs, quæ dixi, eius animus ita patuerit, vt ex hoc vno, quod toto animo se ad Aristotelis, summi illius & optimi omnium doctissimorum præceptoris, monumenta cognoscenda conferebat. Hoc enim qui serio & constanter faciat, eum posthabere omnia studio sapientiæ credibile est. Quascumque poterat opes, huc sibi comparabat: propterea cum eruditis æqualibus studia sua quotidie communicabat: doctores, quos dixi, omni attentione audiebat: interpretes summi magistri, quos nactus erat, legebat: quos non habebat, inquirebat vndique: etiam eos, qui inquinatius scripserant, vt quamuis politæ orationis semper fuisset studiosissimus, tamen non sermonis solum elegantia capi, sed multo maximè eum optimarum scientiarum studio teneri constaret. Cum autem eius aliquando accuratè & pererudite scriptam epistolam legissem; de ipso optimè ominari cæpi, & futurum aliquando in doctissimis Germaniæ hominibus dicere non fui veritus, si eum fata superesse nobis sinerent: neque hæc diuinatio, quod pòst magis sensi, me fefellisset, nisi è medio cursu eum eripuisset fati violentia. In philosophiæ studijs vitam transigere decreuerat: & se præterea, de consilio potissimum meo, arti medicæ dedere, quo & valetudinis, quæ non firma admodum esse videretur, rationem hoc magis & rectius haberet. Hæc agens, hæc meditans, vixit vitam suo loco, ordine, ætate dignam: quæ vita si ipsi breuis contigit, melior fuit, multis in ignauia, somno, turpi voluptate, luxu, & simili vitiorum genere actis seculis. Si enim iudicio sapientum stamus, quod profectò facimus, satius est bene vixisse, quàm diu: quin ex his, ne

quidem eos vixisse arbitratos accepimus, qui bene rectèq; vitam non instituissent, etiamsi omnibus fortunæ bonis cumulati, omnes cupiditates expleuissent suas. Non quæram in hoc luctu consolationum aliquid, quæ nobis in promptu esse perpetuo debent: ac propterea hoc minus faciam, ne meam inopiam tibi ostentare velle videar. Abundas enim ipse hoc genere. Si quis dolor est, noster est, & nostra caussa, & iccirco maximè moderandus. Non enim malè cum ijs agitur, qui cum bene vixissent, vel paucos annos, vel longam ætatem, quæ tamen breuis esse censetur, quoniam finem habet aliquem, ex incommodis vitæ mortalium, maximè huius tempestatis, quæ vel solo futurarum calamitatum metu misera est, eripiuntur: immò optimè agitur, quorum animi ad beatorum sedes migrant, quo omnes, vt Christianæ pietatis oraculis edocti sumus, suspirare debemus. Sed cum plura scripserim, quàm ad te debuerim, multa, quæ non debuerim; iterum rogo, vt huic meo errori, quem in te amarem, veniam des. De alijs, cum erit vtrique commodius: potissimum autem de communibus litteris, & nostra caussa, quo meliores ipsimet euadamus, & publica, vt honesto otio perfruantur litterarum beneficio plures etiam populi, & posteritatis denique, cuius bonos tam decet habere rationem, quàm nostri habuerunt ex maioribus nostris viri optimi. Nihil puto esse dignius homine, nihil humanitati magis consentaneum: nisi forte, si quid est veræ humanitatis, in hoc veluti opere, non solum consilio, totum vertitur: quæ omnino mea hac de re sententia est. Vale. Rostochio non. April. Anno M. D. LXXX.

Ioan-

quam, quoad viueret, abijcienda aut seponenda putaret: tamen in ijs tantum pedem sibi figendum non putabat, sed ad subtiliores, sublimiores, & diuiniores quoque scientias, tum naturæ præstantia, tum iudicij bonitate rapiebatur, à quibus tamen multi, ingenij imbecillitate, vel impatientia laboris fugiunt, alij deterrentur magnitudine & difficultate ipsius operis: quod tantum est, quanti summum omnium bonorum, quæ homines nostri apte opera nobis comparare possumus, æstimari debet. Quod si rem ipsam assequi numquam poss; nónne hic animus omni laude dignus esse videatur? necesse est enim eum esse non vilem, qui despiciat quæcumque sunt in fortunæ potestate posita: contrà diuinum esse, qui vera bona in bonis sola ponat, omnesque neruos intendat ad ea consequenda. Non igitur abs re adolescentem nostrum, etiam exemptum rebus humanis, amore prosequimur: quem ego erga illum ostendere alia ratione non possum, quam si non tibi, etsi ad te potissimum scribens, sed alijs adolescentibus, liberalium artium studiosis, illius mentem consiliumque exposuero, vt institui. Et enim ille veræ laudis præmijq; suorum laborum expers non erit, & hi habebunt exemplum nobile, quod imitentur. Exemplorum etenim quæ proba sunt, rectè etiam pro regulis habebimus, quando nisi vel cum his conuenirent, vel ad ea proximè accederent, proba nequaquam existimarentur. Sed quo me abripit scriptionis quasi æstus? volui esse non ita longus: & quamquam plura etiam scripsi, quàm volebam initio, tamen non possum inchoata præcidere, & tu meæ verbositati veniam dabis, præsertim ex amissi adolescentis desiderio natæ. Vt multos ego vidi, neque tu forte pauciores, qui doctores vel non audiendos putarent, sibimet se satis idoneos magistros fore rati, vel

non audirent sedulo, freti ingenio, vel quosuis audirent, siue eos certe, quibus alios operam dare cernerent, nullo usi consilio in rebus suis. Contrà Mensingius, & rectè putabat, in scientijs esse, quas sine diserto interprete ne ingeniosissimus quidem perdidicerit, neque illum audiendum oscitanter, quòd si quem, quæ præmitti necesse esse, fugissent, is intelligentiam sequentium numquam adipisceretur: videbat deinde, quæ ex quo rectissimè, quo item & tempore et ordine acciperet. Itaque ceteris non quidem contemptis, tamen præ alijs, vt dixi, Nathanem sibi sumpsit, me quoq; audiuit, sed diligentissimè Henricum Brucæum, logica, geographica, astronomica, physica, cum luculenta suauitate diuinitus explicantem. Est enim hic vir multiplicis bonæ doctrinæ copia instructus, & reconditis litteris præditus, præter artis medicæ peritiam, in qua quantum excellat, in meo ipsius corpore sæpius experior, quàm me amici experiri velint: sed tamen secundum est, si non semper firmiter valeas, sarcire valetudinis ruinas vtcumque posse: quiq; in ea re nobis seruiat, magis etiam videatur colendus, quàm Æsculapius. De eo, ne videar plusculum amicitiæ largiri, etsi hic locus postulabat, non dicam amplius, ne etiam ipsi molestus sim, qui intra modum malit prædicari, licet eum numquam satis laudauero. Quod etiam adolescens ille noster, neq; tuam disciplinam aspernatus sit, tute scis, & ego gaudeo, quòd eo homine vsus est, qui principe loco summa cum laude elegantiores litteras, quæ humanitatis appellatione hodie merito celebrantur, in academia vestra doceas, præsertim, quia de hisce, quas dixi litteris, prorsus idem sentimus, & ab ijs perpetua animorum coniunctione ingruentem barbariem fortiter propulsamus. Sub huius enim belluæ signis militant multi, qui exuuijs doctrinæ amicti sibi dominatum et opes passim parant. Quantum

vero

Ioannes Caselius S. D. Hieronymo Vuolfio.

NVmquam fortasse nos videbimus: per litteras etiam raro nobis licet colloqui: ipsa tamen iucunda raritas: vel breuissimæ tuæ, quas ante kal. Ian. dedisti, ego sub kal. Maias accepi, quàm mihi fuerunt iucundissimæ? Retines igitur memoriam veteris amici: neque tui ipse queo obliuisci: hoc dignum litteris: hoc litteratis: disiuncti tantis locorum spacijs viuimus coniunctissimi: in vulgus, qui in eadem prouincia, in eodem oppido, in ijsdem ædibus viuunt, vix tuentur vmbram concordiæ: sed ne ruam, quo nolo, nihil de alijs: nos ceteris disputationes, vel potius studium contentionis relinquentes, agamus serio, quod profitemur. Ego ex meis vindemiolis proximè mittam aliquid: tua in promptu sunt multa & bona, quibus nobis vti licet quotidie. Vale. Rostochio XV. Kal. Sextilis. Anno CIↃ IↃ XXC.

Ioannes Caselius S. D. Carolo Sigonio.

QVò rarius ad te scribo, Carole Sigoni; non hoc scribo accuratius: sæpe non queo scribere, quoniam annis pluribus vix aliquis hinc istuc proficiscitur, cum nostri ciues nauigationi magis studeant: iam vero accuratè minimè. Festinat enim hic adolescens, & plures flagitat epistolas, & se à comitibus vrgeri ait. Itaque ipsi non succenseo: & tamen gratificari cupio: nec te præterire debeo, non tam,

tam, vt iam ipsi gratificer, quàm tibi constantiam mei erga te animi beneuolentissimi probem: etsi hoc forte necessarium non est. Non enim minus bene de me sentis, quàm ipse de te. Persuadeo autem mihi, me à te amari, etiam cum longissimè istinc absum: quin hoc recognoui ex Liuonij sermonibus, qui hoc mense ex Italia ad nos rediit. Aiebat enim, se tibi adfuisse Bononiæ: te mei amicam mentionem fecisse. Ne nos ingratos esse existimes: ferè quotidie honorificam tui mentionem facimus, tibiq; absenti gratias agimus, qui non desinas bene mereri de litteris: etiam tuo exemplo excitamur, vt ipsi quoque nostro loco aliquod eorum patrocinium suscipiamus, tum docendo, tum scribendo: doceo quotidie, in altero minus possum: non tamen nihil conor, & inprimis hoc ago, vt iuuentus nostra indies rectius & alacrius colat litteras: & hoc magnum esse existimo, etsi tua sunt longè maiora: immo maxima. Tu enim multis gentibus & posteritati consulis. Vtinam tuis tantis vigilijs digna etiam præmia persoluantur: apud nos rem faciunt, qui quæstuosas artes tractant: quo loco sint studia sapientiæ, non libet queri, ne patriam trans Alpes accusare videar: neque nescio, vt Italia paupaucos etiam ornet, & sæpe dignissimos prætereat: neque nos eius rei caussæ fugiunt. Sed quid hoc ad te? cum sciam, te hominem philosophum, neque auri aceruos, neque insignia honoris admirari, quorum possessio etiam penes nefarios sæpe sit: sapientia & virtute si contenti sumus; tranquillè viuimus: neque agit vitam miserè, qui vtrique studet semper serio. Ego mihi polliceri nihil his moribus queo: in animum induxi, me imprimis erudire, & de quàm multis potero, bene mereri: tu meritis tuis omnes bonos & eruditos viros tibi arctissimè deuinxisti, & viues cum immortalibus ingenij tui monumentis. Vale. Rostochio XV. Kal. Sextilis. Anno M. D. LXXX.

Ioan-

Ioannes Caselius S. D. Ioanni Fichardo.

GRauem tuum casum, Fichardè, quo certè grauiter animo perculsus sum, accepi ex tuis ad communem amicum Carcouium litteris: quas vtinam ille mecum communicasset, vt solebat. Quæ enim tum ab alijs, tum à te accipiebat; ea mihi, vt amicissimus carissimo statim & cupidè impertiebat. Recordor enim, vt vel ad me miserit, vel me ad se arcessierit, vel domum meam ipse venerit: simul etiam sermoni alicui familiari fenestram aperiebat: erat enim φιλόλογος: & sententiam dicebat ipse liberè, & sciscitabatur opiniones amicorum. Non dicam de eo hic pluribus, ne dolorem nostrum, cui medicinam facere erat rectius, augeam. Nimis enim hoc vulnus recens est, neque ferre dum videtur manum medici. Consolationis plurimum ipse tibi videbis: ego, quod video, etsi hoc parum est, eo vtor: abducam animum longius à luctu, ad tanti viri virtutum considerationem: quas cogito penicillo ingenij mei delineare. Quoniam vero tu me prior in amicitiam adsciuisti; feres quoque libertatem, quæ est amicorum: feres, inquam, vt te non solum rogem, sed etiam moneam, vt porro singularem tuæ valetudinis rationem habeas. Et enim te dignum homines longa vita iudicant, & respub. amicitiq; tam fideli patrono & viro præstanti si careant, magni boni iacturam faciant. Vale. Rostochio prid. Kal. Nouemb. Anno M. D. LXXX.

Ioannes Caselius S. D. Andreæ Dudithio.

CVM aliquoties mihi Monauius beneuolentiam erga me tuam litteris prædicarit; meas esse partes contrà putaui, testatum tibi vtrumque aliquando facere, et quanti mihi tuus ille animus, vel potius iudicium de me sit, & quàm te hominem longè doctissimum & optimum colam. Amplitudinem enim dignitatis tuæ & cetera fortunæ bona, non contemno illa quidem, sed minus ipsa me mouent, quàm ista propria, quibus te intellexi præditum. Profectò namq; Dudithi, à spectatis viris me amari, & vnde alterum est, probari gaudeo: nec hominem esse putem, qui talium virorum censuras non ferat: qui eorundem veluti suffragijs ornari non cupiat: qui si ab ijsdem ametur, lætitiam animo non capiat singularem. Multæ sunt caussæ, quamobrem hoc regum ampliſsimis priuilegijs videatur anteponendum. Nam vt vnum dicam atque alterum, ipsi reges & maxima plerumque beneficia in minimè bene de se meritos conferunt, neglectis etiam optimè meritis, & haud facilè queunt verè de quoquam iudicare, cum ipsis vix aliquis mortalium sit satis familiaris, nedum intimè cognitus. Quamquam autem tuam beneuolentiam, & ex quo hanc oriri non dubito, iudicium tanti æstimo, quanti haud scio quid in rebus mortalium: tamen sic vobis assentior, vt agnoscam semper tenuitatem animi in me bonorum, & si qua sint, conseruare magis, & magis augere studeam, præsertim cum quotidie magis intelligam, et quàm ardua sit via veræ virtutis, & quam perennes sint atque inexhausti fontes sapientiæ. Hac mea de me opinione nihil mihi auctoritati præstantissimorum hominum dero-

gare

gare videor: sed ipso hoc instituto memet illis cariorem reddere. Nec vero, vt tui similium, ita tuum istum in me amorem leuiter confirmabit, mea tui obseruantia, qua profectò nemini cedo. Eius rei caussas aperiendi video mihi occasionem datam, & video pænè oculis campum excurrendi in diuinas tuas laudes amplissimum: sed parcam pudori vtriusque. Neque enim ego assentator: neque tu ex glorioſis, qui soli suas laudes veras, falsas, patienter audiunt. Quibus te nominibus alij, ijsdem etiam ipse semper colui: tum quoque, cum meum nomen ad aures tuas peruenire nondum potuerat. Tu magnis rebus præeras: ego in Italia viuebam in studijs bonæ doctrinæ. Magis te iam colere debeo, quod fieri à me, amici hic mei norunt, quando in tuis me vltro habes: vt in perpetuum ames, non tam rogo, quamquam etiam rogo, quoniam id magnopere cupio, quàm te facturum non dubito. Non facis namque hoc, nisi consilio: quod consilio facis, id non temerè, vel potius numquam abijcies: meum est videre, vt maiores quotidie & plures etiam caussæ exstent mei complectendi. Vale. Rostochio XII. Kal. Iun. Anno M. D. LXXXI.

Ioannes Caselius S. D. Hugoni Blotio.

NE suspiceris, Hugo, fuisse minus mihi gratas tuas litteras, quod tardius respondeam: fuerunt mihi illæ, vt non exspectatæ, ita longè iucundissimæ: non exspectaram, quia mei nominis famam ad te non putabam peruenisse: voluptatem capiebam prorsus singularem, quod nouo amico me auctum esse intelligebam, atque eo virtute

& litteris præstanti viro. Ita viuam, vt talium ego copiam ceteris fortunis anteponendam censeo omnibus. Victorio & Cratoni multum debeo, multis nominibus, siue quod eorum claritas illustrat nomen meum, siue quod bonitas mihi conciliat passim gentium multorum amicitiam bonorum. Etsi autem in me causas, quamobrem tantopere me complectantur, hoc est, plane paterno amore, non agnosco: tamen semper operam dedi, vt ipsis placerem, quibus placere impolitorum & improborum nemo vmquam potuit. Sed forte plus profeci obseruantia vtriusque perpetua, quàm vlla alia re. An non eos sponte obseruet quisque bonus? Sed ipsi ad se colendos pæne me compulisse videri possunt. Quem enim non alliciat vtriusque summa virtus & admirabiles in vtroque litteræ? quæ est in bonorum animis quædam συμπάθεια. Sed & exstant, neque à me dissimulantur illustria ipsorum erga me merita. Sed venio ad nos: si eosdem colimus, si ab ijsdem amamur; mirum sit, si amor nullus inter nos exoriatur mutuus: magis mirum, si in ijsdem litteris viuentes, ad eandem adspirantes virtutem, animis non simus coniunctissimis. Tu hac in re me superas, vel anteuertis, quando erudita epistola mihi tuum erga me amorem significas: in quo tibi ego lubens respondebo, idq; tibi duxi testatum faciendum hisce litteris, quarum tarditatem non miraberis, cum cogitabis, quanto terrarum interuallo disiungamur, quamq; raro isti huc, nostri istuc commeent. Quod de amicitia in vulgus ἀφορήτῳ quereris; hoc peruulgatum prorsus: secundum, quod de periculo imminente, doctoue dicam viris, an ipsis litteris? Nos ante omnia laborabimus, vt rectè cum sentiamus, rectè & faciamus: longissimè ab omni turba & factione absimus: cetera, quæ in manu nostra non sunt, aut feramus fortiter, aut ratione mitigemus. An tu nescis, quid

quid passim fiat hodie? Hoc sollicitius ago res meas: cum omnibus amicitiam, quæ latissima in societate mortalium coli potest, colo: iniurias in me aliorum non insector, si honestè dissimulari possunt: ne quem temerè offendam, studeo: neque tamen nescio, quàm multis, quæ facio, minimè probem. Idem tu, multoq; facilius cum facias, quanto es ab omni liberali doctrina instructior: secundæ fortunæ cursum facillimè tueberis, aduersæ fluctus, si qui excitabuntur, franges aut sustinebis. Vale. Rostochio IV. Non. Iun. Anno M. D. LXXXI.

Ioannes Caselius S. D. Ioanni Casimiro, duci Saxoniæ.

TEmpori, princeps Ioan. Casimire, fuisse redditas istic superiores meas litteras: die natali tuo: scribit vestrorum ille animorum formator optimus. Isto igitur otio, & domestica lætitia, amica mei à vobis mentio facta fuit, & perhonorifica, vt non dubitem, quin, quod ostenditis quoque per epistolam, non minus, quàm coràm mihi ostenderatis, habeatis in me carissimis vestris: non vt reges nominant carissimum quemque, cui non grauiter insensi sint: sed, vt loqui solemus Latino sermone, Germanicus moribus. Neque enim illius tibi proprietas ignota est: nostræ autem nationis integritas et constantia passim gentium præ omnibus celebratur. Quam laudem prorsus heroicam, qua etiam omnium Græcorum ad Troiam optimus & fortissimus Achilles triumphabat, cum plærique inferiorum ordinum tueamur, vos reges abijcere minimè oportet: quin hoc tueri

magis. Nam vestrum quemque, quando genere, diuitijs, potentia, dignitate præstatis, magis præstare omni virtute et sapientia fas est. Hæ quoque sunt causſæ, cur bonis litteris imbui iußi sitis: quod cum ipsimet intelligatis, plenius eas imbibetis vltrò, neq; ab hoc minimè prophano sympoſio vobis esse discedendum putabitis antè, quàm sitim sapientiæ expleueritis: hoc erit ea exhausta omni si fieri possit. Coles igitur, vt tecum loquar, hæc studia doctrinæ perpetuo: sed maximè hac tua adoleſcentia, qua & otij tibi est satis, et potes proficere plurimum, et te in recta vitæ ratione confirmabis. Hac tua felicitate gaudebo magis, quàm beneuolentia ista singulari, qua me complecteris, qua tamen gaudeo maximè. Vale. Roſtochio IV. Kal. Sext. Anno

CIↃ. IↃ. XXCI.

Ioannes Caſelius S. D. Ioanni Erneſto, duci Saxoniæ.

O gratas mihi vestras litteras, princeps Ioan. Erneſte: sic habebitis: etiamsi tardius respondero. Non fuit interea cui darem, vel si quis se mihi ostendißet, auolauit ille istuc potius, quàm abijt. Nam huic officio omnes occupationes poſtponerem. Sed tam humani principes locum excuſationi non relinquitis. Tu vero etiam patieris, vt ad te sim breuior, quæq; ad principem Ioan. Caſimirum fratrem tuum scripsi, de ijsdem tecum quoque me locutum putabis. Vnum modo addam: cum intelligam vos animis esse coniunctiſsimis, quo nihil inter fratres rarius, nihil tamen nobilius: vnam esse inter vos contentionem gaudeo, in qua

in qua est summa tamen consensio, vt tu fratri benevolentia & virtutis atque doctrinæ studio cedere non velis. Neq; illum puto tuæ huic pertinaciæ succensere, neque inuidere progressibus: sed ipsum ita præcurrere, vt te etiam à tergo nolit relinquere, ad latus currentem videre gestiat. Cum poëta contentionem exemptam è rebus humanis & diuinis velit; plus vidisse mihi sacerdos Ascræus visus est, qui hoc genus probarit, & mirificè etiam ornarit: neque tamen dubito, quin ille, quem omnia vidisse tradunt, idem sentiat, apud quem ἀγῶνα quoque sunt virtutum: de quibus te cognouisse arbitror. Vale. Rostochio IV. Kal. Sextil. Anno CIↃ IↃ XXCI.

Ioannes Caselius S. D. Gulielmo, duci Brunsv. & Lunæburg.

ETsi, princeps Gulielme, desiderari à te meas litteras existimo, tum quia me tuarum frequentia prouocas, tum si hoc non esset, quia noui stomachum tuum φιλόλογον: tamen de hac scribendi lentitate me non excuso, etiam quia noui idem istud ingenium tuum humanissimum, & à malè suspicando de amicis prorsus alienum. Interea tamen nullus præterijt dies, quin de te beneuolè cogitarem & amicè loquerer, vel apud amicos, vel in familia. Non enim te minus amo, quàm cum domi meæ viuebas: forsitan etiam magis, non solum, quia absentis mirifico desiderio teneor, sed etiam, quia tui colendi & maiores & nouæ in te caussæ quotidie oriuntur. Nam & quæ tum primulum in te elucescebant,

ceſcebant, perficiuntur modo, & alijs etiam diſciplinis, quibus ipſe maximè volebam, te imbuis. Video enim ex breui, ſed perlepida epiſtola tua, te delectari quoque ſermone Græco: quem tibi hic tantopere puero commendabam: quin eo, niſi aliò te auocaſſet fortuna, erudiri iuſſiſſem. Putabam enim, neque in hac re te reluctaturum auctoritati ſiue iudicio meo. An vero hoc iam ſerio agis? puto equidem: pingis enim, non vt eius linguæ prorſus rudes. Ne, quæſo, in ea guſtanda tantùm pluſculum operæ ponas: quin multos ego reprehendi, qui non parum in aliqua doctrina ſtudij poſuiſſent, quam deinceps abijcerent. Cenſeo igitur tibi videndum, ne labor, quem iam ſumpſeris, pereat: peribit autem, ſi hic conſiſtes: ſed progrediendum alacri animo: modica diligentia exhauries, quæ vis omnia: vt velis, & perpetuo velis, cogita diuitias ingenij neminem ſine ijs litteris conſecutum: ſed illarum cœleſtium opum tu laudabili auaritia inflammatus es. Sed doce me plenius, quid hac in re conſtitueris: plura deinceps ſcribam, quibus delectaberis: neque tamen voluptatem iam capies ſine vtilitate tua. Vale. Roſtochio IV. Kal. Sextilis. Anno M. D. LXXXI.

Ioannes Caſelius S. D. Sebaſtiano Leonardio.

TAm tibi meas ſuperiores opportunè fuiſſe redditas? ſumma omnium hilaritate. Itaque & ipſe cuique veſtrum in amoribus fui, & gratiora fuerunt, quæ ſcripſeram: quamquam in ijs nihil erat, quod vel alieniſſimo tempore quempiam bonorum offenderet. Studeo vero etiam probari,

probari, sed non, vt vulgus: verum ex caussis optimis. Hoc me agere, satis perspectum habes, & videbis etiam ex ijs litteris, quas ad nobilissimos disciplinæ tuæ alumnos cum his dare constitui. Cupio equidem non tam ab ipsis me amari, quod tamen cur nolim, nihil caussæ est, cum sciam neminem esse bonorum, quin se à bonis amari & velit & gaudeat, quàm quæ commendo vitæ decora, & rectè eam transigendi tamquam instrumenta, virtutem minimè fucatam, & sapientiam regiam serio coli. Hoc, inquam, opto potissimum: sed huius generis aliquid in eas litteras conijciam, quas ad illos dabo. Publica, vt scribis, à pluribus ad nos perferuntur: puto nostra itidem ad vos. Si aues cognoscere de rebus Rhutenicis: tyrannus ille per legatos regi Stephano primum Liuoniam detulisse dicitur, præter Pernam, Dorpatum, & Naruam: cum neque sic spem pacis redimendæ videret, etiam vniuersam: quam rex non repudiasse: sed flagitasse insuper magnam vim auri ad leuationem partis sumptuum belli, quos fecisset. Spes magna pacis, nec dubia victoriæ. Sed inquiram hæc, vt ad nos perscripta sunt, ne quid desideres. Vale. Rostochio IV. Kal. Sextil. Anno M. D. LXXXI.

Ioannes Caselius S. D. Friderico Bilæ.

SI breui extemporanea epistola tibi satisfieri pateris, Friderice, (vix mihi iam licet per hunc hominem fasciculum componere, ita properat) eccam tibi. Tuam in me beneuolentiam amo, qua meam mereris, si tui amandi caussa non esset: hæc est singularis, istæ tuæ non vulgares litteræ: non dico studium, quo maximè inflammatus es, vt

intelligas, præclarè me existimare de profectu tuo. Ea enim scribis, quæ adolescentem nobilem meditari æquum est, & ita scribis, vt ab eo exspectari possit, qui totus sit in litteris, & cumprimis eloquentiæ studeat. Perge vero, & sæpe scribe: vt sæpe recognoscam tuum in me animum beneuolentissimum, & animaduertam, te maioribus in studio hoc tuo passibus currere. Ex vtroque mirificam semper capiam voluptatem: in vno tibi respondebo, in altero te confirmabo, vel quoniam non opus esse video, collaudabo. Vale. Rostochio IV. Kal. Sextil. An. M. D. LXXXI.

Ioannes Caselius S. D. Christiano Distelmeiero.

GRatum tibi esse studium meum, non dubitabam, non solum, quia plus mihi in litteris tribuis, quàm ipse arrogem, sed etiam, quia me mirificè amas. Solemus enim quæ ab amicis proficiscuntur, quamuis tenuia, in rebus cariss. habere, & non raro multo etiam pretiosioribus anteponere. Non putabam autem, te cogitare de referenda gratia, quasi ἐν ἴσῳ: certo sciebam, siue scripsissem aliquid, siue nihil scripsissem, te non defuturum, si opus esse ostenderem, aut tibi in mentem veniret, in rebus meis, neque mihi, neque meis: meis autem, cum si quos tibi commendarem, in quo fores audaciam meam, tum qui ex me nati, quotidie opem meam implorant, maioremq; cum ætate propediem flagitabunt, vt nullum verbum faciant. Quod si mihi soli viuerem; nemini mortalium grauis, contrà, quibus possem, studerem esse vsui. Etiam nunc, quibus queo, & quantum omnino queo, seruio, potissimum ingenuæ doctrinæ studiosis adolescentibus: quoniam mihi in alijs vel nihil, vel parum facultatis est: alterum æquè declinaturus:

curus mihi in perpetuum videor, præsertim cum litteris & litterarum cultoribus olim à regibus constituta præmia, paullo antè prorsus euanuerit, κὔτε καπνός. Iam vero præter omnem exspectationem meam luculento me munere affecisti, quo plenissimè testatum mihi faceres animi erga me tui singularem beneuolentiam. De eo te amo, daboq; operam, vt aliquando coràm tibi gratias agam: si hoc breui non fiet, aliam viam inueniam, qua magis tibi probem animum meum, & tuum in me complectendo magis confirmem, aut quoniam hoc non opus est, ostendam, quàm non erraris in hoc, qui me vel vltrò, vel, cur enim dissimulem? ea facilitate in amicitiam adsciueris, de sermonibus bonorum, & quibusdam sanè mediocribus ingenij monumentis notiorem, quàm de facie. In eodem vero fasciculo accepi plurium perelegantia scripta, gaudeoq; vniuersum pæne chorum musicum præsto fuisse honori tuo: non equidem iniuria, quem tu studio et præsidio subleuatum tuo, velis esse semper ornatissimum. Probo etiam præclarum tuum de Thoma Hubnero iudicium, quem cognoui iam ab adolescentia virtute & integritate vitæ nemini secundum: de eius animi dotibus ita sentio, vt in copia optimæ doctrinæ & admirabilis in dicendo facultatis ei neminem præferam. Qua in re cum mecum non dissentias; perges eum veteri tuo amore complecti, magis etiam, quàm meipsum. Cur enim hoc non feram? cum intimos ipsius sensus certius perspexeris, quàm meos, hominis tibi à pueritia notissimi: non dicam magis, ne quod mihi tribui cupiam, ipse derogem. Tantum autem abest, vt illi inuideam, vt hoc etiam te rogem. Declarare etiam ei potes amorem tuum consilio & ope, & cogitare vbi id facias. Censeo enim subuenias hominis pudori. Eum enim probare in bonis ita debemus, vt non negligamus: vtrumque prudentis est, hoc benefici.

Non potes autem ignorare, in quas difficultates quorundam perfidia coniectus sit, quos cum ille iuuaret, se pæne, certè de suis multum perdidit: non leuibus curis ipsius animum angi scio. Da quoque mihi veniam, qui tibi eum commendem, in quo amando mecum certes. Non reprehendenda videtur cura, quæ pro amico suscipitur, nec superuacanea: neque perinde impudentes in aliena re, vt in propria videmur: quamquam & hanc meam puto: sed scis, vt loqui consueuerimus. Vale. Rostochio X. Kal. Sept. Anno M. D. LXXXI.

Ioannes Caselius S. D. Ranero Raneccio.

CONiunctionem animorum prædicant omnes vno ore, nec minus hodie, quàm omnibus seculis: neque desunt boni viri, qui in illa stabilienda per societatem hominum laborent: profici autem parum, nimirum res ipsa indicat. An ea est rei natura, vt in vulgus manare non possit? Hoc enim minimè mirum: quoniam in quibus virtutis sensus non est; nihil prorsus habent, quo animi sincerè conglutinentur. Nam qui suauia spectant, in ijs voluptatis quædam fragrantia momento exhalat, & fumi instar euanescit: qui vtilitate metiuntur omnia, quandam amicitiæ similitudinem colunt paullo fidelius, quoniam mutuis operis vita indiget, quas vtrinque, quoniam ipsis commodum est, libenter præstant: in alterutro si tandem aliquid desideretur; & horum animi vtplurimum dissiliunt. Nihil igitur mirum, inter pleroſque minus conuenire: sed hoc mirum, qui humanis & diuinis litteris studemus, non facilè coalescere, sed multo etiam magis dissidere: de quo scelere siue fato, sæpius queri & stomachari soleo, pæne inuitus,

tus, vel alieno loco. Sed, ni fallor, nos, hoc est, quotquot nostri ordinis sunt, non facimus id, quod longissimè fugiendum esse cognouimus, nobisq; ita penitus persuasimus, vt neque velle, neque facere possimus aliud. Sed auertam calamum à barbaro illo temerè controuersantium grege. Ab vltima pueritia ex re ipsa didici: in quibus aliquod studium esset virtutis & sapientiæ; semper abhorruisse à contentionibus, & cupidè studuisse amicitiæ, cuius leges vel soli tenerent, vel certè non prorsus ignorarent. Hi non solum, si vnà educati fuerunt, aut aliquamdiu vnà vixerunt, se amant, sed complectuntur etiam, quos diuidunt οὔρεά τε σκιόεντα & ἠχήεντα θαλάσσα, licet se numquam viderint. An in animis bonorum eam vim esse negabimus, & horum maximè, qui pectus litteris expolierunt, vt ad sui similium animos sibi quàm arctissimè copulandos rapiantur? Vacamus enim inuidia, & humanitatis iura didicimus: neque anteponimus fortunæ bona animi dotibus. Sed quid hæc tam altè repeto? Nullam sanè ob caussam, nisi quod eiusmodi meditabar, ad te scripturus, quæ si legeres, iacturæ saltem nihil faceres, & videres fortè, sensibus esse nos congruentibus. Hinc autem ordienda erat epistola: placuisse mihi monumenta ingenij tui, quæ iampridem apud amicos vidissem: neq; potuisse non tuos præclaros conatus probare. Itaque etiam te amabam: sed vltro susceptam animo beneuolentiam erga te confirmarunt amici vel tui, vel communes. Ex his quoq; primum, deinde ex tuis litteris vidi, tibi perinde accidisse de me: quod facilè patior, & gaudeo. Est enim profectò satis caussæ, cur gaudeam. Intelligo enim, me à veteribus amicis amari, & cumulari nouis. Vtrumq; iucundissimum: hoc eo iucundius, non quod multitudinem in amicitia spectandam putem, sed quod ijs, qui decedunt, (amisi enim aliquot his annis proximis) succedant, quos

velim accedere. In ceteris suauissima mihi accidit mentio Ioannis Michalouitij: sæculum enim, ex quo de ipso nihil cognoueram: colebamus adolescentes amicitiam, vt sodales, & græcas litteras, vt bonæ doctrinæ cupidi: legebamus, vt vtriusque captus ferebat, quotidie, poëtas, oratores, historicos græcos: si tum quis exstitisset, qui ducem se fuisset professus ad philosophiæ penetralia; quàm nos eius vestigia cupidè fuissemus secuti, ὥσε θεοῖο? sed, vt etiam nunc, passim tractabantur perquam frigidè, & vix pueriliter recondita illa sapientiæ studia. Progressi fuimus aliquô: ego non desino vrgere illud iter, quod ingressus tum fui: neque desum tamen alijs: ille dignitate præstat, & auctoritate valet in patria: quæ omnia ipsi, & ipsum patriæ tantum virum gratulor: qui quantus esset futurus, tum apparebat. Præter enim litteras, erat in adolescente grauitas, quæ raro in eam ætatem cadit, prudentiæ argumentum: nec quidquam erat eo sincerius, nihil modestius, nihil humanius. Præstantem habuisti apud Boëmos hospitem: qui cum te mihi amicum cum primis fecerit, me quoque tibi nesciens facit amiciorem: quod si ex litteris tuis cognosceret, non minus mihi gratum esset, quàm ipsi: sciret ex meis, si essent, qui hinc illuc iter faceret. De Hubnero & Censorio non agam multis: cum viuas cum altero, ad alterum sæpius venias: & vtrumque domi suæ vidi: Censorius etiam apud me fuit: Hubnerum sub ver exspecto. Sed gratum fecerunt ambo vtrique nostrum: mihi certè, quia & tibi meum in te animum, & mihi tuum in me nunciarunt. Quod in officio scribendi, quod præsertim per illos tibi ostenderam, me anteuertis, te amo, neque tibi in hoc genere palmam inuideo, etsi non inferior amicis esse studeo. Sed multa obstant, quod video te quoque animaduertisse, vt purgatione mihi apud te non opus sit, etiam

huius

huius ceßationis. Pro ea habeto loquaciorem hanc epiſtolam, quam tamen ipſam, neque res patitur perſcribere. Tamen vnum non debeo præterire, quod ſupra attigi: tuos conatus omnes probant intelligentes & docti viri: ego mirificè: neque ſapiat, qui patriæ lucem inuideat. Tu igitur rectè, qui è tenebris domeſtica ornamenta eruere cogitas: erit illuſtrior Germania: erit melior. Si enim ſuorum maiorum præclara facinora legent principes, magis, quàm longinquis hiſtorijs ad virtutem regiam excitabuntur. Sed hic campus iam relinquendus eſt, in quem exſpaciabor, cum iterum ſcribam, quando & cetera perſequar, quæ te velle intelligo. Vale. Roſtochio V. Id. Martij. Anno CIↃ IↃ XXCII.

Ex erratis, quæ inter relegendum amici animaduerterunt, tolle: ceteris ignoſce. A. 3. verſu 13. lege vetuſtiſsimo. facie 2. v. 2. neceſſarium. B. 3. v. 1. præſidio. B. fac. vltima. v. 1. omnibus. C. 1. v. 15. ſubſtituis. C. f. vlt. v. 18. modeſtiam. E. 2. f. 2. v. 2. infelicior. F. v. 3. alius. F. 4. v. pen. propius. [illegible] 3. v. 8. felicitatem. H. 2. v. 5. dicturos. K. 1. v. 7. ſentientes. v. 17. populabundi. K. v. vlt. excitant. L. 4. v. 15. præcepiſſent. O. 2. v. 1. Videatur enim. P. f. vlt. v. 19. efferas. R. 2. poſsis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863617026/phys_0159

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863617026/phys_0161

XENO[illegible]ONTIS
CY[illegible]EDIÆ

LI[illegible]RTIVS.

Nicola[illegible]sdorf. Jo. Caselius

IOAN[illegible]ASELIO

[illegible]e.

Eiusdem [illegible]n de educatione
princi[illegible] secunda, &
[illegible]tolæ.



[illegible]HII

Ex o[illegible] Myliandri.

A[illegible]XXCII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863617026/phys_0163